B I B L I O T H E C A

S C R I P T O R V M G R A E C O R V M E T R O M A N O R V M

T E V B N E R I A N A

BT 2014

ARISTOTELES

DE INTERPRETATIONE
(ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ)

RECOGNOVIT

HERMANN WEIDEMANN

DE GRUYTER

ISBN 978-3-11-034905-4
e-ISBN 978-3-11-034908-5
ISSN 1864-399X

Library of Congress Cataloging-in-Publication Data

A CIP catalogue record for this book has been applied for at the Library of Congress.


Bibliographic information published by the Deutsche Nationalbibliothek

The Deutsche Nationalbibliothek lists this publication in the Deutsche Nationalbibliografie; detailed bibliographic data are available in the Internet at http://dnb.dnb.de.

Printing: Hubert & Co. GmbH & Co. KG, Göttingen
∞ Gedruckt auf säurefreiem Papier

Printed in Germany

www.degruyter.com



Codex Sinaiticus gr. N(έα) E(ὑρήματα) M 138 (saec. IX/X), fol. 3r

(photographice effinxit Theodericus R. Reinsch; foras ut daretur, benigne permiserunt Sanctae Catharinae monasterii in monte Aegyptio Sinai siti gubernatores)

PRAEFATIO

1. DE HOC ARISTOTELIS LIBRO ET QVOMODO AD NOS VENERIT

Inscriptionem Περὶ ἑρμηνείας, quam Latine De interpretatione significare Boethius affirmat[1], cum Theophrasto quidem nondum notam fuisse, Andronici autem Rhodii temporibus iam in usum venisse appareat, huic libro non ab Aristotele ipso, sed inter saeculum tertium et primum ante Christum natum ab editore quodam antiquo impositam esse constat.[2] Cuicumque sic hunc librum inscribere placuit, primi eius capitis doctrinam spectans atque illius loci memor, in quo de arte poetica disputans λέξιν esse τὴν διὰ τῆς ὀνομασίας ἑρμηνείαν Aristoteles dicit (*Poet.* 6, 1450 b 13–14), illam inscriptionem invenisse videtur. Legimus enim in primo huius libri capite voces, quas emittens sua quisque lingua loquatur, cogitationum, quas loquendo exprimat, signa esse (cf. *De int.* 1, 16 a 3–4. 6–7. 9–11)[3], quod quidem lector, cui loci ex libro De arte poetica adlati in mentem venit, ita intellegere possit, ac si dicantur voces a nobis loquentibus emissae ad cogitationes nostras ita se habere, ut significantes eas quasi interpretum munere fungantur.

De interpretatione quamquam inscribitur, hac de re in hoc libro Aristoteles non disputat, nisi quod eas voces tractat, quibus utimur ad eas cogitationes significandas atque interpretandas, quae aut verae aut falsae sunt, orationes enuntiativas dico vel enuntiationes, quae ipsae aut verae aut falsae sunt. Quae ratio intercedat inter enuntiationes affirmativas et negativas, Aristoteli in hoc libro inquirere propositum est, id est inquirere primum, quando duae enuntiationes simplices, quarum altera affirmativa est, altera negativa, contradictorie oppositae sint, id est ita opposi-

1 Boethius I 32, 8–10; cf. II 250, 20–22.

2 Cf. Maier 1900: 69–72, Minio-Paluello 1956: vi.

3 In De interpretatione libri versibus numerandis Aelium Montanari secutus Immanuelem Bekker quam accuratissime imitatus sum a Theodoro Waitz et Laurentio Minio-Paluello dissidens, quorum in editionibus initia versuum saepius ab editione Bekkeriana discrepant.

tae, ut negativa id ipsum, quod affirmativa alicui rei contingere affirmat, ei ipsi rei contingere neget, tum, quando duae enuntiationes contradictorie oppositae ex ea regula excipiantur, quae duas enuntiationes eius modi verum et falsum ita inter se dividere iubet, ut altera vera, altera falsa sit.

Sed praeter haec, de quibus potissimum disputare Aristoteles curat, quaedam alia propinquitate quadam et adfinitate coniuncta in hoc libro invenimus, quorum pleraque Boethius enumerat libri argumentum his verbis explicans: „iam vero quae dividant verum falsumque quaeve definite vel quae varie et mutabiliter veritatem falsitatemque partiantur, quae iuncta dici possint, cum separata valeant praedicari, quae separata dicantur, cum iuncta sint praedicata, quae sint negationes cum modo propositionum, quae earum consequentiae aliaque plura in ipso opere considerator poterit diligenter agnoscere …“.[4]

Ad logicam ergo disciplinam attinent res, de quibus in hoc libro agitur.[5] Itaque cum primo saeculo ante Christum natum corpus Aristotelicum nobis traditum, id est corpus eorum scriptorum, quae Aristoteles non in usum publicum, sed in suum suaeque scholae usum confecerat, ab Andronico Rhodio ita disponeretur, ut scripta argumentis et materia inter se coniuncta singulis philosophiae disciplinis attribuerentur, atque sic dispositum ceteris Stagiritae operibus, ut videtur, omissis ederetur, De interpretatione liber attributus est logicae disciplinae, quae praterea Categorias, Analytica priora et posteriora, Topica, Sophisticos elenchos continuit. Quae disciplina cum ad alias disciplinas ut earum instrumentum sive organum adhibenda esse existimaretur, Organi nomen logicae illi corporis Aristotelici parti impositum est.

Organi scripta Analyticis posterioribus exceptis saeculo sexto ineunte a Boethio Latine reddita sunt. Quarum tamen interpretationum per sescentos fere annos duae tantum, quibus Categorias et librum De interpretatione ille converterat, reliquis omnibus amissis legebantur. Ceterae interpretationes Boethianae, cum saeculo duodecimo ineunte nescimus quomodo ubive repertae essent,

4 Boethius II 13, 14–21.

5 Quod ad res in hoc libro tractatas atque sententias in eo expressas attinet, vide commentarium a me conscriptum (Weidemann 2014).

una cum Iacobi Venetici Analyticorum posteriorum interpretatione Latina sub titulo „ars nova“ vel „logica nova“ logicae vel artis, quae vetus vocabatur, scriptis adiectae sunt, inter quae praeter Porphyrii, qui Isagoge inscribitur, librum (quem idem Boethius Latine vertit) primum locum obtinebant Aristotelis Categoriarum et libri De interpretatione Boethii translationes Latinae.[6] Cuius De interpretatione libri translationem, ut erat gravis logicae veteris pars, „inde a Karoli Magni regis temporibus“, ut Laurentii Minio-Paluello verbis utar, „per annos fere septingentos magistri et discipuli in philosophiae scholis, ubicumque Latina vigebat lingua, perlegerunt, memoriae tradiderunt, glosis commentariis quaestionibus instruxerunt et auxerunt“.[7]

Eodem fere tempore, quo in occidente Boethius Organi scripta Latine reddidit, in oriente Syri in suam linguam illa convertere coeperunt, id est Porphyrii Isagogen ut Organi quasi prooemium eamque Organi partem, quae Categorias, librum De interpretatione, Analyticorum priorum libri primi prima septem capita complectitur.[8] Quae scripta, quorum complures translationes Syriacae ad nos pervenerunt[9], cognoscere et intellegere Syrorum ideo multum intererat, quia in theologia magno usui ea fore censebant vel ad fidei Christianae dogmata intellegenda atque contra infidelium oppugnationes defendenda vel ad controversias dogmaticas diiudicandas atque doctrinas haereticas refutandas.[10] Cuius rei vestigium memoratu dignum remansit in De interpretatione libri translatione Syriaca ea, quae anonyma ad nos pervenit. Hanc enim translationem qui confecit, enuntiationibus contradictoriis „omnis homo iustus est“ — „non omnis homo iustus est“ et „omnis homo non iustus est“ — „non omnis homo non iustus est“ in capite decimo (19 b 32–35) exempli causa adlatis enuntiationes contradictorias „omnis homo non deus est“ — „non omnis homo

6 Cf. Dod 1982: 46, 48, 53–55.
7 Minio-Paluello 1965: IX.
8 Cf. Hugonnard-Roche 2004: 12–16.
9 Cf. Brock 1993: 3–5.
10 Cf. Peters 1968: 18, 19–20, 38–39, 224, Daiber 1970: 541; vide etiam Suermann 1990: 105, Hugonnard-Roche 2004: 53–55, 143–146, 173–175.

non deus est“ adiungere veritus non est, quarum altera Nestorianorum, altera Monophysitarum adumbrare videtur doctrinam.[11]

Cum autem inter saeculum octavum circiter medium et saeculi decimi finem non solum Organi scripta, sed praeter paucos omnes, qui acroatici dicuntur, Aristotelis libri Arabice redderentur, Syri Christiani iique in primis, qui Nestorianorum sectam sequebantur, maxima ex parte hoc interpretandi negotium ita susceperunt, ut plerumque non libros Graecos ipsos, sed iam in linguam Syriacam translatos in linguam Arabicam verterent.[12] Isaacus Hunaini filius verbi gratia De interpretatione librum Arabice reddens interpretatione Syriaca nunc deperdita usus est, quam fortasse pater eius, Hunainus Isaaci filius ille doctissimus, conscripsit.[13]

Ad libri nostri textum recognoscendum praeter codices Graecos manu scriptos, qui ad nos pervenerunt, et translationes antiquas nobis traditas, quarum antiquissima est Armenia quaedam saeculo quinto confecta, magnum adiumentum adferunt, qui adhuc exstant, commentarii Graeci antiqui. Ex multis autem commentariis, quibus iam inde a saeculo secundo usque ad saeculum septimum De interpretatione librum illustraverunt Aspasius, Herminus, Alexander Aphrodisiensis, Porphyrius, Iamblichus, Syrianus, Ammonius Hermiae filius, Olympiodorus, Stephanus Alexandrinus commentatorque quidam anonymus Stephani fere aequalis, tres tantum usque ad hoc tempus conservati et ad artis criticae rationem editi sunt, eos dico, quorum unum conscripsit saeculo quinto vel sexto Ammonius, alterum saeculo sexto vel septimo Stephanus, tertium eodem tempore commentator ille anonymus. Accedunt commentarii, quem saeculo sexto Olympiodorus confecit, fragmenta codici Vaticano Urbinati gr. 35 ut scholia inserta, quae una cum commentario anonymo edita sunt.

Hisce translationibus et commentariis antiquis aetate aliquanto posteriores sunt operis ipsius codices Graeci manu scripti adhuc exstantes, quorum nullus saeculo nono antiquior est. Qui enim ante id tempus exarati sunt codices, omnes fere ideo deper-

11 Cf. Hoffmann 1873: 39, lin. 13 et adn. 37.

12 Cf. Peters 1968: 57–67, 224–225, Gutas 1998.

13 Cf. Hugonnard-Roche 2004: 69, 72 (adn. 2).

ditos esse scimus, quia, postquam textus, quos continebant, ita ex eis transscripti sunt, ut in veterum illarum, quae maiusculae vel unciales dicuntur, litterarum locum litterae novae, quae minusculae vocantur, substituerentur, tamquam exemplarium munere perfuncti non iam digni, qui conservarentur, habiti sunt.[14] Est igitur inter duo illa cultus atque humanitatis Graecae monumenta, opera scripta et opera arte et manu facta, si ad scientiam nostram spectamus, notabilis quaedam discrepantia, quam Ioannes Irigoin, qua fuit sollertia, sane acute hoc exemplo illustravit: Sophoclem ait Parthenonem aedificari vidisse, cuius templi ipsius quod superest, hodie quoque Acropolim Atheniensem ascendentes ante oculos nos habere; Sophoclis autem fabulas legentes libros nos habere in manibus, quorum antiquissimum, quod quidem exstaret, exemplar manu scriptum mille quingentorum fere annorum spatio a poetae morte distaret.[15] Tantam distantiam tantumque inter exemplar autographum et apographa adhuc exstantia intervallum, si minus tollere, at certe deminuere scriptorum Graecorum libros recognoscere atque edere studentibus, ut Irigoin iure monet, curae esse debet.[16]

2. DE CODICIBVS GRAECIS MANV SCRIPTIS AD HANC EDITIONEM PARANDAM ADHIBITIS

A = codex Vaticanus Urbinas gr. 35, membranaceus, saec. IX exeuntis vel X ineuntis. Foliis 54^{v}–74^{v} De interpretatione libri textum continet. Subscriptione instructus est, quae eum a Gregorio quodam subdiacono in usum Arethae diaconi exaratum esse declarat, ex quo intellegitur Gregorium post annum 888, quo anno Arethas nondum diaconus fuisse videtur, et ante annum 902 vel 903, quo anno Arethas Caesareae Cappadocum archiepisopus factus est, transscribendi opus perfecisse.[17] Folium, cuius in parte

14 Cf. Gastgeber 2003: 14–16, 28.
15 Cf. Mondrain 2010: 610.
16 Cf. ibid.
17 Cf. Follieri 1973–1974: 262–263, 273, 276–277, Montanari I 1984: 54–55, Perria 1990: 57, 62.

aversa subscriptio Arethae ipsius manu exarata est, cum mutilatum sit, complura verba desiderantur, quae quadam ex parte ad codicis pretium spectavisse Henrica Follieri recte suspicata est. Quae enim ab Aretha impensa esse legimus nomismata sex, pro membrana tantum solvisse idque verbis desideratis declaravisse videtur, quibus verbis quin transscribendi operis pretium quoque, quod a Follieri octo vel decem nomismatibus aestimatum est, indicaverit, dubium esse non potest.[18]

„In textu", Follieri scribit, „librarius usus est scriptura minuscula inclinata paucis litteris formae maiusculae mixta; scholia autem vetera scriptura maiuscula compendiis insigni exarata sunt manu, ut videtur, ipsius Arethae [...]".[19] Scholiis scribendis ut sibi locus relinqueretur, Aretham foliorum margines peramplos fieri iussisse apparet.[20] Illa autem scholia, quae scripsit, operum eorum, quae codicis 450 fere foliis continentur, Organi scriptorum dico cum Porphyrii Isagoge, exiguam sane partem attingunt, cum iam in folio 29 Categoriarum libro usque ad caput quintum tractato ab incepto destiterit.[21]

Parti ei, quae De interpretatione librum continet, saeculo decimo tertio vel quarto scholia inserta sunt ex commentario deperdito excerpta, quem Olympiodorus saeculo sexto ad hunc librum explanandum conscripsit. Quorum scholiorum editionem Leonardus Tarán, qui idem commentarium Graecum in De interpretatione librum anonymum saeculo sexto vel septimo conscriptum edidit, de quo infra in sectione 4 copiosius dicam, huius commentarii editioni praeposuit.[22]

B = codex Marcianus gr. 201 (coll. 780), membranaceus, anno 954 exaratus. Foliis 26^{v}–36^{r} De interpretatione libri textum continet. Duobus locis (foliis 111^{v} et 183^{v}) librarius, qui Ephraem monachum se appellat, subscriptione sua declarat transscribendi munus

18 Cf. Follieri 1973–1974: 273–279.
19 Follieri 1969: 28–29.
20 Cf. Follieri 1973–1974: 272–273.
21 Cf. ibid.
22 Tarán 1978: xxv–xli.

mense Novembri anni mundi 6463 expletum esse.[23] Quem mensem, cum Byzantini a Kalendis Septembribus anni 5509 ante Christum natum ut a mundo condito annos, quos annos mundi vocabant, computare soliti sint[24], non, ut quidam volunt, anni 955[25], sed anni 954 post Christum natum Novembrem esse liquet.

Qui codex saeculo quinto decimo e Bessarionis cardinalis et patriarchae Constantinopolitani possessione in possessionem rei publicae Venetorum venit, cui Bessario anno 1468 omnes libros suos donavit. In donationem autem, qua Bibliothecae Marcianae fundamenta iacuit, conclusos et comprehensos esse voluit, ut videtur, praeter eos libros, quos iam possidebat, 482 Graecos et 264 Latinos, etiam eos, quos posthac acquisiturus esset.[26] Posteriorum librorum in numero codex cum sit, ut Bessario „cardinalis Sabinorum" eum esse adnotans[27] ipse testatur[28], in librorum donatorum indice instrumento donationis, quod dicitur, adiuncto nulla eius mentio fit, tamen in vecturae tabulas eorum librorum, qui duobus annis post cardinalis mortem, id est anno 1474, Venetias missi sunt, his verbis relatus est: „Logica Aristotelis, in pergameno, optima".[29]

Diligentissime codicem descripsit Elpidius Mioni[30], qui „cum" sibi „tum omnibus, qui in textu recognoscendo et emendando incubuerunt, [...] persuasum" esse dicit eum „optimum esse codicem locupletissimumque Logicorum testem".[31]

C = codex Parisinus Coislinianus 330, membranaceus, saec. XI. Foliis 43^r–58^r De interpretatione libri textum continet. Totum fere

23 Cf. Mioni 1958: 116, 1981: 314. Quod ad Ephraem librarium attinet, cf. Irigoin 1959: 181–195, Prato 1994: 13–29.
24 Cf. Maas 1980: 46.
25 Cf. verbi gratia Waitz I 1844: 1, Williams 1984: 1.
26 Cf. acta ad Bessarionis donationem spectantia a T. Gasparrini Leporace et E. Mioni edita (1968: 97–148); vide etiam Labowsky 1979: 30–34.
27 Cf. Mioni 1958: 116, 1981: 314.
28 Bessario mense Octobri 1468 donatione iam perfecta episcopus Sabinensis factus est; cf. Labowsky 1979: 19, 35, 44–45, 480.
29 Cf. Labowsky 1979: 50, 220 (nr. 547), 437, 466.
30 Cf. Mioni 1958: 115–117, 1981: 313–314.
31 Mioni 1958: 100.

transscribendi opus duae manus eiusdem aetatis eiusdemque fortasse officinae scriptoriae inter se partitae sunt, quarum altera Porphyrii Isagogen et Aristotelis Categorias, De interpretatione librum, Analytica priora, Analyticorum posteriorum libri primi satis magnam partem, altera Topica et Sophisticorum elenchorum non mediocrem partem exaravit. Analyticorum posteriorum et Sophisticorum elenchorum reliquas partes quattuor manus recentiores suppleverunt.[32]

Q = fragmentum palimpsesti saec. IX Damascenum, membranaceum. Quod fragmentum in uno folio bipartito sive bifolio, ut ita dicam, consistit De interpretatione libri versus 17 a 35 (τὴν τοῦ αὐτοῦ) – 18 a 16 (prius ἄνθρωπος) continente, id est capitis sexti versus ultimos, caput septimum totum, capitis octavi versus primos. Codex, cuius hoc fragmentum restat, olim librorum divinorum codex fuit saeculo quinto vel sexto litteris uncialibus exaratus. Saeculo nono textu deleto, etsi non toto, et foliis intercisis litteris minusculis transverse rescriptus atque in Organi Aristotelici codicem commutatus est.

De interpretatione libri fragmentum, sub quo fragmentum Veteris Testamenti libri, qui Sapientia Salomonis inscribitur, latet, saeculo vicesimo ineunte in fano illo Damasceno, quod Omayadarum Meschita appellatur, inventum est, cum eius fani thesaurus, cui nomen est Qubbet el-Chazne (id est tholus thesauri), pervestigaretur scriptorum manu confectorum fragmentis refertus. Anno 1902 fragmentum illud multaque alia fragmenta in thesauro inventa sultani permissu ab imperatoris Germanorum legato apud Altam Portam Berolinum missa sunt, ut imperatori in hominum doctorum usum commodarentur. Anno 1909 Constantinopolim remissa sunt, ex quo tempore obscurum est, fragmentum illud ubi sit et num adhuc exstet. Exstant tamen quattuor paginarum eius imagines photographicae, quae in Academia Artium Berolinensi et Brandenburgensi adservantur et quas Theodericus Harlfinger typographice redditas vulgavit.[33]

32 Cf. Montanari I 1984: 57.
33 Harlfinger 2000: 91–92, tabulae 17 et 18.

Curtium Treu secutus Harlfinger fragmentum descripsit eiusque fortunae vicissitudines adumbravit.[34] De Omayadarum autem Meschitae thesauro, de rebus, quibus effectum est, ut Bruno Violet, vir doctissimus, thesauri illius pervestigandi causa Damascum mitteretur, de negotiis ab eo Damasci transactis, de fragmentorum ab eo selectorum corpore in Germaniam misso et aliquot annis post magistratibus Constantinopolitanis restituto, de illorum fragmentorum casu incerto quae cognitione digna sunt, uberrime enarraverunt Cordula Bandt et Arnoldus Rattmann.[35]

Quod ad fragmenti illius scripturam minusculam attinet, quae difficillima est lectu, Harlfinger eam e Syriae vel Palaestinae regione originem trahere et antiquissimorum saeculi novi codicum Aristotelicorum nobis notorum scripturis antiquiorem esse iudicat[36], et antiquiorem etiam Organi codicis illius scriptura, cuius in monte Sinai nonnulla fragmenta inventa sunt.[37]

Ut nominis Arabici Qubbet el-Chazne compendium **Q** notam fragmento imposui.

S = codicis Sinaitici gr. N(έα) E(ὑρήματα) M 138 fragmenta, membranacea, saec. IX/X. Cuius codicis anno 1975 in monasterio Sanctae Catharinae in monte Sinai sito undecim folia inventa sunt, quae omnium Organi scriptorum Sophisticis elenchis exceptis fragmenta continent, et folia 3–6 De interpretatione libri fragmenta haec: cap. 1, 16 a 1 (Πρῶτον) – cap. 3, 16 b 21 (ἠρέμησεν); cap. 9, 18 a 30 (μὲν ἀληθῆ) – 19 a 14 (ἔμπροσθεν); cap. 11, 20 b 15 (-μενον) – cap. 12, 21 a 34 (σκεπτέον ὅπ-); cap. 13, 22 b 13 (ὥστε εἰ) – 23 a 26 (μόνον tabula adiecta).[38]

Theodericus R. Reinsch, qui codicis fragmenta in monasterio Sinaitico inspexit et arte photographica usus effinxit, ea et accuratissime descripsit et **S** nota imposita cum Aristotelis operum editione ex Immanuelis Bekker recognitione profecta contulit, quam

34 Cf. Moraux et al. I 1976: 121, 466–467.
35 Bandt / Rattmann 2011.
36 Cf. Harlfinger 2000: 156.
37 Cf. Harlfinger 2000: 156, adn. 23.
38 Cf. Reinsch 2001: 59.

Academia regia Borussica anno 1831 foras dandam curavit.[39] Fragmentorum scripturam examinans et cum trium codicum, in quibus annus adscriptus est, scriptura comparans Reinsch conclusit codicem, cuius fragmenta sunt, non, ut quibusdam placuit, decimo vel undecimo demum saeculo, sed saeculo nono exeunte vel decimo ineunte exaratum esse, id est eodem fere tempore, quo Organi scriptorum codices Vaticanus Urbinas gr. 35, Vaticanus Barberinianus gr. 87, Ambrosianus L 93 sup. exarati sunt.[40] Praeter librarii manum Reinsch complures manus recentiores distinxit, quarum aliae textum correxerunt vel scholiis instruxerunt, aliae capitum vel paginarum numeros addiderunt.[41] Posteriores manus cum ex occidentis regione ortae sint, codex ante, quam in montem Sinai pervenit, diu in Europa in usu fuisse videtur.[42]

Pater Iustinus Sinaites, qui monasterii Sanctae Catharinae bibliothecae praeest, codicis fragmenta arte photographica digitali, quam dicunt, usus iterum effinxit et splendidas imagines coloratas eorum produxit, quas inspiciens codicem nonnullis locis lectiones praebere intellexi, quae ab eis, quas collatione Reinschiana adhibita exspectaveris, discrepant.

V = codex Vaticanus Barberinianus gr. 87, membranaceus, saec. IX/X. Foliis 35^v–48^v De interpretatione libri textum continet. Ad quem textum recognoscendum primus codicem contulit Aelius Montanari, qui prima quattuor libri capita ad artis criticae rationem edens[43] **R** notam ei imposuit, qua nota etiam Ioannes Magee usus est capitis primi versus 16 a 3–9 adnotationibus criticis instruens.[44] Iacobum Brunschwig et Ricardum Bodéüs secutus, quorum alter in Topicorum, alter in Categoriarum editione critica **V** nota eum designavit[45], hac nota usus sum.

39 Reinsch 2001. De interpretatione libri fragmentorum collatio pp. 64–66 continetur.
40 Cf. Reinsch 2001: 61–63, 69.
41 Cf. Reinsch 2001: 64, 68–69.
42 Cf. Reinsch 2001: 69.
43 Montanari I 1984 / II 1988.
44 Cf. Magee 1989: 7–8.
45 Brunschwig I 1967 / II 2007, Bodéüs 2001.

d = codex Laurentianus 72, 5, membranaceus, saec. X medio recentior. Foliis 50ʳ–67ᵛ De interpretatione libri textum continet. In codice exarando complures manus diversorum temporum interfuerunt, quarum de principali, qua inter alios De interpretatione libri textus transscriptus est, Marco F. Williams cum Theoderico Harlfinger controversia est. Harlfinger enim, qui codicem diligentissime descripsit[46], manus principalis scripturam complurium codicum inter annos 954 et 966 exaratorum scripturis simillimam esse existimans saeculo decimo librarium principalem suo munere functum esse iudicat, quem Williams sub similitudine illa maiorem dissimilitudinem latere et scripturam illam scribendi modum proximi fere saeculi proprium redolere contendens saeculo undecimo attribuit.[47] Codex propinqua cognatione cum codicibus **A** et **B** coniunctus est, qui cum eo unam familiam faciunt.[48]

Bibliothecae Laurentianae beneficio communicationis instrumento illo per universum orbem terrarum diffuso, quod interrete vocatur, utenti singulorum codicis **d** foliorum optimas imagines photographicas digitales, quas dicunt, contemplari licet.

n = codex Ambrosianus L 93 sup., membranaceus, saec. IX/X. Foliis 60ᵛ–79ᵛ De interpretatione libri textum continet. Ad Organi scriptorum textum constituendum Topicorum et Sophisticorum elenchorum textu, qui in eo desideratur, excepto primus eum contulit Theodorus Waitz **n** notam ei imponens.[49] Inter antiquissimos Organi codices manu scriptos, qui ad nos pervenerunt, proprium et peculiarem locum obtinet. Textuum enim, quos continet, formam et speciem tradit, quae ab ea, quam ceteri codices servaverunt, tantum differt, ut quasi sui iuris esse videatur.

Quam codicis **n** proprietatem Iosephus De Gregorio aliquot annis ante coniectura explanare conatus est eum non Constantinopoli, sed in imperii Byzantini regione Italo-graeca exaratum esse, qua de causa pristinam textus formam eum custodivisse, quae tum, cum in capite imperii novae textus formae eam depulissent,

46 Cf. Moraux et al. I 1976: 475–480.
47 Cf. Moraux et al. I 1976: 478; Williams 1984: 4–6.
48 Cf. Bodéüs 2001: CXIV.
49 Waitz I 1844 / II 1846.

in provincia permanserit.[50] Studiis autem, quibus postea se dedit, adductus De Gregorio hac coniectura, ut privatim me certiorem fecit, interea relicta veri simillimum esse sibi persuasit codicem **n** medio in imperio Byzantino confectum esse. Rem ita se habere iam Claudia Schiavi in dissertatione sua academica contenderat. Suspicta enim est codicem **n**, cum tam scriptura quam ornamentis codici Mosquensi 184 (Vladimir) anno 899 exarato similis esset, sicut illum in Bithynia Constantinopoli vicina vel etiam in urbe ipsa confectum esse.[51]

Ordine singula persequentes codicem descripserunt Schiavi in dissertatione modo laudata et Theodericus R. Reinsch, cuius descriptio in operis, quod Aristoteles Graecus inscribitur, volumine secundo nondum edito foras dabitur.[52]

Saeculo quarto decimo, cum codex reficeretur, complura folia, quae exciderant, restituta et textus, quos continuerant, rescripti sunt.[53] Quorum foliorum in numero est folium 75, in quo De interpretatione libri capitis 13 versus 22 b 4–32 (τοῖς ἑτέροις ... μὴ εἶναι) scripti erant. Laurentium Minio-Paluello secutus manum, quae hos versus rescripsit, **n**^{i} nota designavi.

Beneficio eorum, qui bibliothecis, in quibus adservantur, praesunt, codices **A**, **B**, **C**, **V**, **d**, **n** ipsos inspicere mihi licuit. Praeterea ea folia, quibus libri nostri textus continetur, photographice efficta inspexi imaginibus usus, quarum plurimas Universitatis Liberae Berolinensis institutum, quod Aristoteles-Archiv vocatur, mihi benigne suppeditavit. Fragmenti Damasceni **Q** imagines photographicas, quae ad nos pervenerunt, et ipsas et in formam digitalem, quam dicunt, redactas adhibere potui per benevolentiam Academiae Artium Berolinensis et Brandenburgensis. Codicis **S** fragmenta ita contuli, ut imagines photographicas, quae digitales vocantur,

50 Cf. De Gregorio 1991: 479–482, 496.

51 Cf. Schiavi 1982–1983: 17–20, 68, 71–73. In librorum et libellorum ad codices Ambrosianos Graecos pertinentium indice a Caesare Pasini anno 2007 edito huius dissertationis mentio non fit.

52 Aditum interretialem, ut ita dicam, ad hanc descriptionem dat institutum Universitatis Hamburgensis, cui nomen est Teuchos-Zentrum für Handschriften- und Textforschung.

53 Cf. De Gregorio 1991: 484–486.

inspicerem, ad quas aditum mihi benigne dedit bibliothecae monasterii Sanctae Catharinae praefectus.

3. DE TRANSLATIONIBVS ANTIQVIS

Δ = translatio Armenia anonyma. Saeculo quinto nescimus a quo confecta compluribus codicibus manu scriptis conservatur, quorum in aliis (amplius quadraginta) continua sine commentario continetur, in aliis membratim commentario inserta. In nonnullis codicibus, qui eam commentario insertam tradunt, et ipsa et commentarius perperam philosopho illi Armenio adscribitur, cui nomen est David Invictus.[54]

Editione principe anno 1833 Venetiis foras data, quae ex tribus codicibus Venetis manu scriptis pendet, et quattuor codicibus, duobus Hierosolymitanis et duobus Parisinis, nixus Fredericus C. Conybeare anno 1892 translationis Armeniae textum cum textu Graeco a Theodoro Waitz edito contulit. Collatione iam perfecta et typis expressa cum Ticini in bibliotheca universitatis codicem saeculo duodecimo vel tertio decimo exaratum invenisset (cod. 179, olim 130 D 43), quem ceteris longe praestare existimavit, duas appendices adiunxit, in quibus codicis illius textum translationis cum textu Graeco contulit atque eum editionis Venetae lectionibus variis omnibus, codicum Hierosolymitanorum et Parisinorum nonnullis adnotatis diplomatice edidit.[55] Utrique collationi collationem et editioni editionem translationis Armeniae Categoriarum praeposuit. Commentarii, cui translatio inserta est, specimina aliqua in praefatione praebet partim Graece, partim Anglice reddita.[56]

Laurentius Minio-Paluello, qui ex duplici collatione, quam Conybeare confecit, ad libri nostri textum constituendum primus

54 Cf. Conybeare 1892: v, vii, xxii; Tessier 1989: 83, 2001: 133.

55 Cf. Conybeare 1892: xxv–xxxi, 28–50, 97–106, 107, 155–183.

56 Cf. Conybeare 1892: xiii–xx. De opere a Conybeare confecto et de codicibus Armeniis ab eo collatis cf. Tessier 1979: 15–17, 2001: 133–135; Montanari I 1984: 61–66; Bodéüs 2001: CLVII–CLXI (in paginae CLVIII adnotatione 1 corrige „cod. 95 et 106“ in „cod. 105 et 106“; cf. Conybeare 1892, „Errata in Appendices“ ad p. 107).

fructum capere potuit, nonnumquam tamen, cum ea uteretur, erravit. Ad eius errores corrigendos Andreas Tessier tres tabulas composuit, quarum in primam aliquos locos rettulit, in quibus Minio-Paluello **Δ** notam uncis quadratis includens falso indicat nos ignorare, quid interpres Armenius legerit, in secundam aliquos locos, in quibus Minio-Paluello **Δ** notae signum interrogationis adponens falso indicat incertum esse, legeritne interpres Armenius hoc vel illud, in tertiam denique aliquos locos, in quibus Minio-Paluello, quod ad translationem Armeniam attinet, aliis modis erravit. Quibus tabulis tabulam praeposuit aliquorum locorum, in quibus collationem a Conybeare factam retractavit et supplevit.[57]

Tessier, qui nec Laurentio Minio-Paluello translationem Armeniam „ad artis criticae rationem“[58] a Conybeare editam esse declaranti assentitur[59] et Aelium Montanari collationem a Conybeare factam „pretiosam atque accuratissimam“[60] appellare miratur[61], hanc collationem cum aliis de causis, tum etiam, quod in ea textus Armenii et textus Graeci a Waitz editi differentiae tantum indicari consensusque eorum reticeri soleant, ad textum Graecum recognoscendum, nisi cautissime ea utaris, utilem non esse monet.[62] Rem ita se habere ei ostendere videtur non solum De interpretatione libri editio, quam Minio-Paluello paravit, sed etiam primorum quattuor huius libri capitum editio a Montanari parata, in quam quoque, quomodo translatio Armenia adhibita sit, inquisivit.[63]

Translatio Armenia, cum e codice Graeco pendeat, qui quingentis fere annis antiquior est quam antiquissimi, qui ad nos pervenerunt, codices Graeci manu scripti, cumque ita ad verbum expressa sit, ut plerumque, quid translator in illo codice legerit, satis clare ex ea cognosci possit, codici Graeco saeculo quarto vel quinto exarato paene par putanda est.[64] Similiter res se habet in

57 Cf. Tessier 1979: 17–37.
58 Minio-Paluello 1956: xii.
59 Cf. Tessier 1979: 16, adn. 7.
60 Cf. Montanari I 1984: 61.
61 Cf. Tessier 2001: 135.
62 Cf. Tessier 2001.
63 Cf. Tessier 1989.
64 Cf. Conybeare 1892: v, xxiii–xxv, xxxvii.

ceteris translationibus antiquis, in Latina Boethii dico et in duabus Syriacis, quarum altera anonyma est, altera a Georgio Arabum episcopo confecta. Cum enim translatores antiqui exemplaria Graeca antiquissimis codicibus Graecis adhuc exstantibus multo antiquiora ante oculos habuerint, quorum exemplarium textus verbum e verbo reddentes in suas linguas vertebant, in eorum interpretationibus tamquam in speculis codices Graecos iam diu deperditos intueri possumus, qui ad libri nostri textum recognoscendum magni momenti sunt.

Λ = translatio Latina Boethii. Cuius translationis, quam Boethius decennio secundo saeculi sexti confecit[65], tres redactiones, ut ita dicam, nobis traditae sunt, quarum una textum totum et continuum continet, aliae duae ex eis textus particulis constant, quas Boethius duobus commentariis suis ut lemmata inseruit. Quae particulae commentario maiori sive posteriori ut lemmata insertae sunt, omnes fere textus partes praebent, quae minori sive priori, duas tertias circiter partes.[66]

Laurentius Minio-Paluello, qui ad translationis Boethianae textum recognoscendum et critice edendum ex trecentis quinquaginta circiter libris manu scriptis, qui hunc textum vel continuum vel alterutri commentario vel etiam ambobus commentariis insertum servant, „fere ducentos, vel ipsos vel photographice effictos,“[67] se inspexisse declarat, „patere“ credit „quasdam lectiones proprias textus continui esse, quasdam prioris, quasdam posterioris commentarii“.[68] Cum apparere censeat textum continuum et commentariorum lemmata ita inter se differre, ut commentarii ambo „numquam fere“ contra textum continuum, hic vero „pluries“ cum commentario maiore contra minorem „in meliore lectione conveniat“ et „quandoque“ etiam „melior sit quam lemmata commentariorum amborum“[69], concludendum vel potius coniciendum esse

65 Cf. Montanari I 1984: 79–80.
66 Cf. Minio-Paluello 1965: X–XI, XXXVI. — De commentariis Boethianis vide Magee 2010 et 2013.
67 Minio-Paluello 1965: XI.
68 Minio-Paluello 1965: XXXVII.
69 Ibid.

ei videtur Boethium translationem suam a lemmatibus commentarii minoris, quae fortasse e textu continuo pristino excerpserit, incipientem et in textu continuo nobis tradito desinentem gradatim emendavisse.[70]

Iam saeculo nono, quo ineunte antiquissimi translationis Boethianae codices manu scripti, qui ad nos pervenerunt, exarati sunt, textus continuus lemmatibus commentarii minoris et, postquam saeculo decimo exeunte etiam commentarius maior in usu esse coepit, eius quoque lemmatibus contaminatus est.[71] Quam ob rem Boethii translationis editionem criticam parare magnum onus atque munus est, quod primus Carolus Meiser, deinde Laurentius Minio-Paluello suscepit. Meiser, cui in primis Boethii commentarios edere propositum fuit, in quibus edendis eum, ut Minio-Paluello iudicat, „superare non erit facile“[72], commentarii minoris editioni editionem textus continui praeposuit[73], ex qua, „quomodo textus continuus ad lemmata commentariorum se habeat“, „haud dinosci“[74] posse Minio-Paluello recte monet, quod cur ita sit, his explicans verbis: „Ex altero [...] commentario in alterum et in textum continuum verbum hoc vel illud Meiser transtulit, hoc modo varietatem trium recensionum occultans“.[75] „In“ sua „nova editione paranda propositum“ sibi „in primis“ fuisse Minio-Paluello profitetur „textum Latinum opusculi Aristotelici ad eam speciem restituere sub qua vel Boëthius ipse vel scriptor archetypi, e quo memoria nostra optima processit, textum continuum prodidit“.[76]

Quamquam anno 1268 Guillelmus Moerbekanus Ammonii commentarium Latine reddens De interpretatione libri textum huic commentario membratim insertum de integro in Latinum transtulit, translationis Boethianae auctoritas usque ad aetatem litterarum atque artium renatarum intacta illibataque permansit.

70 Cf. Minio-Paluello 1965: XXXVII–XXXVIII; vide etiam Montanari I 1984: 80–82.
71 Cf. Minio-Paluello 1965: XLII–XLIII.
72 Minio-Paluello 1965: XLI.
73 Meiser I 1877: 1–28.
74 Minio-Paluello 1965: XXXIX.
75 Minio-Paluello 1965: XLI.
76 Ibid.

Etiam Guillelmi socius ille — uterque enim Ordinis Fratrum Praedicatorum erat — clarissimus, Thomas Aquinas, qui De interpretatione librum commentario illustrans primus commentarii Ammoniani translationem a Guillelmo confectam in suum usum convertit, libri ipsius textum non hunc a Guillelmo translatum, sed commentatorum occidentalium medii aevi more illum a Boethio, cuius translatio iam dudum usitata erat, Latine redditum commentario subiecit.[77]

Translationis Moerbekanae editionem criticam a Gerardo Verbeke paratam Minio-Paluello retractavit et una cum translationis Boethianae editione critica a se ipso parata in voluminum serie illa, quae Aristoteles Latinus inscribitur, foras dedit (*Arist. Lat.* II 1–2).

Σ = translatio Syriaca anonyma. Quae translatio, cum verba De interpretatione libri, quae in Probi Antiochensis commentario vel ut lemmata vel ut verba in explicationibus laudata inveniuntur, maxima ex parte cum ea congruant et concordent, non Hunaino Isaaci filio, cui eam adscribi posse Aelius Montanari existimat[78], sed illi ipsi Probo adscribenda esse videtur.[79] Quem opera sua, quorum in numero praeter hunc in De interpretatione librum commentarium etiam in Porphyrii Isagogen et in Aristotelis Analyticorum priorum partem primam (I 1–7) commentarii sunt, non saeculo quinto, ut veteres viri docti putaverunt, sed saeculo sexto circiter medio vel etiam post sextum medium conscripsisse pro certo habendum est.[80]

De interpretatione libri translatio Syriaca anonyma compluribus codicibus manu scriptis nobis tradita est, quorum in uno, Birminghamensi Mingana syr. 606, qui „A. D. 1933 ex antiquiore quodam libro in Mesopotamia transscriptus“[81] est, Probo adscribitur.[82]

77 Cf. Gauthier 1989: 45*, 81*.
78 Cf. Montanari I 1984: 96–97.
79 Cf. Hugonnard-Roche 2004: 62–67, Brock 2011: 196–197.
80 Cf. Hugonnard-Roche 2004: 60–62, 86–88, 276, 277 (adn. 4), Brock 2011: 202–205.
81 Minio-Paluello 1956: xviii.
82 Cf. Hugonnard-Roche 2004: 58, 64 (adn. 1).

Quam translationem uno tantum codice Berolinensi, in quo capitis ultimi dimidia fere pars desideratur, nixus Ioannes Georgius Ernestus Hoffmann illa parte excepta edidit.[83] Codicis Vaticani syr. 158 auxilio textum in codice Berolinensi desideratum (*De int.* 14, 23 b 16 – 24 b 9) edidit Antonius Baumstark, qui translationem, quam primo Monophysitae cuiusdam saeculi sexti vel septimi opus esse coniecit[84], postea a Probo Nestoriano confectam esse dubitanter suspicatus est.[85]

Γ = translatio Syriaca Georgii Arabum episcopi. Qui cum anno 724 mortuus sit, translationem suam, quam conficiens translationem iam exstantem potius recognovit quam novam crearet[86], saeculo septimo exeunte vel octavo ineunte confecisse liquet. In uno solo codice manu scripto in Museo Britannico adservato ad nos pervenit, ex quo integram eam edidit Iosephus Furlani[87], usque ad finem capitis sexti collatione a Guillelmo Wright ei suppeditata usus[88] I. G. E. Hoffmann.[89]

Editio, quam Hoffmann paravit, translationis anonymae editioni ab eo paratae inserta est ita, ut Georgii et translatoris anonymi capitum 1–6 translationes binis paginis oppositis contineantur, et quidem Georgii translatio paginis paribus, anonyma illa imparibus. Hoffmann utriusque translationis partem a se editam cum textu Graeco contulit et plerasque lectiones varias a se adlatas ex Syriaco in sermonem Graecum restituit.

4. DE COMMENTARIIS ANTIQVIS

α = Ammonii commentarius. Ammonius Hermiae filius, qui inter annos 517 et 526 mortuus est[90], Boethii, qui etsi natu quidem

83 Hoffmann 1873: 23, 25, 27, 29; 30–55.
84 Cf. Baumstark 1898: 116.
85 Cf. Baumstark 1922: 102.
86 Cf. Brock 1983: 3; vide etiam Brock 1993: 3–4.
87 Furlani 1933: 46–66.
88 Cf. Hoffmann 1873: VI–VII.
89 Hoffmann 1873: 22, 24, 26, 28.
90 Cf. Westerink 1990: 326.

minor est, tamen eodem fere tempore, id est anno 524 vel 525, mortem obiit, aetati prope coniunctus fuit. Commentarius, quem ad De interpretatione librum explanandum confecit, a ceteris, qui supersunt, commentariis eius eo differt, quod illi ab eius auditoribus litteris mandati sunt, hic vero, ut foras daretur et vulgaretur, ab ipso conscriptus est.[91] Quem commentarium conficiens Ammonius cum ex Hermini, Alexandri Aphrodisiensis, Porphyrii, Iamblichi, Syriani, quos nominat, et fortasse aliorum commentariis deperditis, tum maxime, ut ipse declarat, ex Procli magistri scholis tamquam fontibus hausit.[92] Ut Ammonius Proclum, sic Boethius, quem De interpretatione librum duobus commentariis illustrantem Ammonii commentario usum esse causa non est, cur credatur[93], Porphyrium profitetur in hoc libro explanando sibi auctorem fuisse principalem.[94]

Commentariorum deperditorum vestigia exhibens utriusque commentatoris, Graeci non magis quam Romani, opus ad veterum explanationes nostri libri cognoscendas multum confert; cuius libri ad textum ipsum recognoscendum Ammonii quidem commentarius plus valet, quippe cui commentator ille Alexandrinus textum Graecum a se ipso recognitum et in lemmata divisum plenum inseruerit atque integrum.[95] Ammonio ergo antiquissimam De interpretatione libri tamquam editionem debemus, quam salvam adhuc fortuna nobis conservavit.

Ammonii commentarius compluribus codicibus manu scriptis nobis traditus est, quorum quattuor adhibens Adolfus Busse eum in Academiae litterarum regiae Borussicae voluminum serie, quae Commentaria in Aristotelem Graeca inscribitur, ad rationem criticam edidit. Aelius Montanari editione a Busse parata, in qua reprehendit, quod ad De interpretatione libri textum constituendum parum idonea esset, non contentus[96], cum huius libri capitum 1–4 editionem criticam pararet, ad hanc editionem parandam

91 Cf. Tarán 1978: xv–xvi.
92 Cf. Busse 1897: V–VII, Tarán 1978: vi–vii.
93 Cf. Tarán 1978: vii–viii (adn. 10), Shiel 1990: 356–358.
94 Cf. Ammonius 1, 6–11; Boethius II 7, 5–9.
95 Cf. Minio-Paluello 1956: xiii, Montanari I 1984: 30–31, 66–67.
96 Cf. Montanari I 1984: 67–70.

quattuor codices a Busse collatos de integro conferens et quattuor aliis codicibus Guillelmique Moerbekani translatione Latina usus Aristotelis verba ab Ammonio adlata et commentarii locos eos, qui ad Aristotelis verba restituenda pertinent, recognovit et retractavit.[97] Quod ad lemmata attinet, de quattuor codicibus a Busse adhibitis duo tantum integra ea praebent, aliorum duorum alter saepe, alter semper fere maiorem partem omittit prima tantum verba adferens.[98] Integra autem praebentur ab eis quattuor codicibus, quos primus Montanari adhibuit[99], unius eorum (cod. Laur. 72, 23) parte extrema, quam manus recentior supplevit, excepta.

π = Probi commentarii sectio prima. Ut de translatione Syriaca anonyma disputans, quam a Probo confectam esse veri simile est, supra exposui, Probi opera non ante saeculum sextum medium conscripta sunt. Quod ad commentarium attinet, quo De interpretatione librum illustravit, cum Stephani commentario ei id commune est, ut Olympiodori eiusque disciplinae alumnorum more singulae sectiones, ex quibus constat, in scholas, quas πράξεις Graeci vocant, divisae sint, quarum quaeque ita bipertita est, ut in parte priore, quae θεωρία vocatur, textus, qui explanabatur, totus, initio suo ut lemmate praeposito, generatim atque universe, in parte posteriore, quae λέξις dicitur, loci quidam selecti, vocibus ipsis ut lemmatibus praepositis, singillatim explanentur.[100]

Probi commentarius compluribus codicibus manu scriptis servatur, ita tamen, ut unus solus, Birminghamensis Mingana syr. 606, eum totum, ceteri hanc vel illam partem eius servent.[101] Eodem codice Berolinensi usus, quo adhibito translationis Syriacae anonymae editionem paravit, I. G. E. Hoffmann eam commentarii partem, quam codex ille servat, id est commentarii prooemium totum, quinque sectionum eius primam, quae capitum 1–6 explanationem continet, totam, secundae sectionis prooemium, reliqua-

97 Cf. Montanari I 1984: 72–79.
98 Cf. Montanari I 1984: 68.
99 Cf. Montanari I 1984: 73.
100 Cf. Tarán 1978: xii (adn. 18), Montanari I 1984: 87, Hugonnard-Roche 2004: 61, 277.
101 Cf. Hugonnard-Roche 2004: 59.

rum trium sectionum exordia edidit, in linguam Latinam convertit, adnotationibus instruxit.[102]

Commentarii lemmata et Aristotelis verba in commentario adlata Hoffmann in sermonem Graecum restituere conatus est; non semper tamen recte ea ex Syriaco vertit. Corrige p. 96 loci 70, 26 translationem ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ (*De int.* 2, 16 a 20) in ἧς μέρος μηδέν ἐστι, p. 97 loci 72, 11 translationem Ὄνομα μὲν οὖν (*De int.* 2, 16 a 19) in Ὄνομα οὖν, p. 103 loci 79, 7 translationem φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην (*De int.* 4, 16 b 26) in φωνὴ σημαντική tantum, p. 108 loci 85, 14–15 translationem περὶ τοῦ ὑπάρχειν τι ἢ μὴ ὑπάρχειν (*De int.* 5, 17 a 23) in περὶ τοῦ εἰ ὑπάρχει τι ἢ μὴ ὑπάρχει.

ς = Stephani commentarius. Si non saeculo sexto exeunte, at certe ante septimum medium confectus[103] uno solo codice manu scripto servatur, Parisino gr. 2064[104], ex quo Michael Hayduck in voluminum serie illa, quae Commentaria in Aristotelem Graeca inscribitur, eum edidit. Eandem formam praebet, in quam Probus commentarium suum redegit singulas sectiones eius in πράξεις dividens, quae ipsae in θεωρίαν divisae sunt et λέξιν.

Quamquam ex Ammonii commentario pendet et paucas tantum textus Aristotelici particulas ut lemmata vel ut verba, quae in explicationibus laudantur, insertas continet, Stephani commentarius, ut Hayduck in editionis suae praefatione recte dicit, „ad philosophi verba restituenda non contemnendae est auctoritatis“.[105] Loci 17 b 12–13 textum, quem exempli causa ponemus, Stephanus ita ut lemma profert, ut praeter Boethium, cuius de translatione libri manu scripti ambigunt, solus lectionem sanam praebeat ter vocem καθόλου praebens, quam ceteri textus testes bis tantum habent et quam Hayduck falso semel delendam esse censuit.[106]

102 Hoffmann 1873: 62–90 (textus Syriacus), 90–112 (translatio Latina), 112–140 (adnotationes).
103 Cf. Minio-Paluello 1956: xiii, Charlton 2000: 9.
104 De quo codice, qui saeculo decimo vel undecimo exaratus est, vide De Gregorio 1991: 477–478.
105 Hayduck 1885: VI.
106 Cf. Hayduck 1885: 29, 11.

Hayduck de commentario dicenti „ad illustranda verba philosophi paene nihil affert, quod non diligentius et uberius ab Ammonio expositum sit"[107] Guillelmus Charlton adversatus est editorem benevolentiorem dicere potuisse cavillans Ammonium paene nihil alicuius momenti et ponderis adferre, quod non clarius et concisius a Stephano expositum sit.[108] Charlton ipsi, si minus, cum hoc tenet, at certe, cum nonnulla apud Stephanum inveniri, quae apud Ammonium non inveniantur, admonet[109], adversari non licet.


τ = commentarius anonymus a Leonardo Tarán editus. Eodem fere tempore conscriptus, quo Stephani Alexandrini commentarius ab auditore quodam litteris mandatus est, eo tantummodo codice manu scripto servatur, quo ille nobis traditus est. Quem codicem adhibens Leonardus Tarán eum edidit. Complura codicis folia deperdita sunt, qua ex causa commentarii prooemium et capitis primi totius atque secundi dimidiae fere partis explanatio desideratur. Commentarii quod superest, a loci 16 a 30–32 explanatione incipit. Ex Stephano non pendens, commentarium anonymum qui conscripsit, sicut ille Ammonii commentario usus est; non nihil tamen commentarius hic per se ipse valet.[110]

5. DE TEXTVS TESTIVM ALTERIVS CVM ALIO COGNATIONE

Qua cognatione textus nostri testes, codices Graecos manu scriptos, qui ad nos pervenerunt, dico et translationes atque commentarios antiquos, inter se coniuncti sint, non facile est definire, cum hic textus formas exhibens ad nos venerit, quae inter se aliae aliis maxime contaminatae sunt. Complura enim exemplaria Graeca recognoscere et conferre solebant, qui eum vel transscripserunt vel in alias linguas converterunt vel commentariis illustraverunt, ex aliis alias lectiones eligentes.[111] Quae quamquam ita sunt, tamen

107 Hayduck 1885: VI.
108 Cf. Charlton 2000: 13.
109 Cf. ibid.; vide etiam Tarán 1978: viii–ix.
110 Cf. Tarán 1978: xviii, Charlton 2000: 13.
111 Cf. Morani 1986: 137–138.

testium illorum cognationis lineamenta adumbrari et stemmate exprimi possunt. Stemma infra depictum in sectionibus 5.1 – 5.4 argumentis et rationibus confirmabitur.



5.1 Septem codices manu scriptos **A**, **B**, **C**, **S**, **V**, **d**, **n**, cum non solum adfecti sint mendis atque erroribus, quibus alius ab alio disiungitur et separatur, sed etiam, quibus inter se coniunguntur et copulantur, e codice archetypo communi pendere pro certo habendum est.[112] Quae menda copulativa, ut ita dicam, si non pluribus, at his decem locis inveniuntur, quorum tres tantum, quos asterisco designavi, in codicis **S** fragmentis continentur: 16 b 11* (voce ἢ ἐν ὑποκειμένῳ [adiecto ὄντων: **CSV**] addita), 16 b 22–23 (voce οὐ γὰρ τοῦ εἶναι σημεῖόν ἐστι τοῦ πράγματος ἢ μὴ εἶναι in οὐδὲ γὰρ τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι σημεῖόν ἐστι τοῦ πράγματος corrupta), 17 b 17–18 (voce ὅτι καθόλου omissa et voce τῇ τὸ αὐτὸ in τῷ αὐτῷ corrupta), 18 a 21 (voce οὐδὲ [οὔτε: **A**] ἀπόφασις μία addita), 19 b 30–31 (verbis ταῦτα … τέτακται additis), 21 a 19* (voce λευκὸν omissa), 22 b 36–37* (voce ἢ εἶναι ἢ μὴ εἶναι in ἢ εἶναι ἢ βαδίζειν corrupta), 23 a 38 (voce ψευδὴς ἀληθεῖ in ἀληθὴς ψευδεῖ corrupta), 24 b 4 (voce τῇ omissa), 24 b 5 (voce ἡ ὅτι vel in ὅτι ἢ [**AVdn**] vel in ὅτι ἡ [**B**] vel in ἡ [**C**] corrupta).

Fragmentum Damascenum **Q**, quod brevius est, quam ut in stemmate collocare liceat, loco 17 b 17–18, quo solo conferri potest, ipsis duobus mendis adfectum est, quae eadem in codicibus **A**, **B**, **C**, **V**, **d**, **n** inveniuntur.[113]

5.2 Textus testium cognationem tamquam arborem inde a codicibus **ω** et **ψ** sic in ramos diffusam et sparsam esse, ut in stemmate conspicitur, ex eis intellegi potest, quae in sectionibus sequentibus explicabuntur, et primum in sectionibus 5.2.1–5.2.9, quod ad codices **A**, **B**, **C**, **S**, **V**, **d**, **n** attinet, deinde in sectionibus 5.3 et 5.4, quod attinet ad translationes Δ, Λ, Σ, Γ et commentarios α, ς, τ. Codicum **ω** et **ψ**, cum ab illo textus testium cognatio omnis, ab hoc cognatio illa, qua ii, quos modo dixi, codices inter se coniuncti

112 Codici **n**, cum infra mentio eius fit, folium illud adnumeres, quod quae exaravit manus recentior in apparatu critico **n**^{i} nota designatur.

113 Montanari in his codicibus nulla menda communia inveniri contendenti, quae satis demonstrativa sint, ut eos e codice archetypo pendere concludi possit (cf. I 1984: 46–49), recte adversatus est Morani (cf. 1986: 136–137).

sunt, in ramos diffundi et spargi coeperit, hunc proximum, illum remotum appellare licet codicem archetypum.

Quod ad codices hyparchetypos attinet, **α** et **β** primi litteris minusculis adhibitis e codicibus litteris uncialibus exaratis transscripti esse videntur.[114] Duplex igitur evenisse videtur litterarum permutatio illa, quam μεταχαρακτηρισμόν Graeci vocant.

5.2.1 De quindecim codicum copiis, quas ex copia **ABn** creat, si quis de quattuor codicibus **C**, **S**, **V**, **d** (a) nullum, (b) singulos, (c) binos, (d) ternos ad eam addit, praeter copiam **ABCVdn** nulla ullis mendis adfecta est, quibus codices, quos continet, inter se copulentur et quibus ipsa separetur ab ea ex quindecim copiis, quae ex quattuor codicibus **C**, **S**, **V**, **d** creari possunt — dividuntur autem (a) in unam, quae omnes quattuor continet, (b) in quattuor, quae ternos, (c) in sex, quae binos, (d) in quattuor, quae singulos continent —, quod eius complementum est. Non sunt, ut idem aliis verbis repetam ac referam, neque (a) generis **ABn**/**C**(**S**)**Vd** menda ulla neque (b) generum **ABCn**/(**S**)**Vd**, **ABSn**/**CVd**, **ABVn**/**C**(**S**)**d**, **ABdn**/**C**(**S**)**V** neque (c) generum **ABCSn**/**Vd**, **ABCVn**/(**S**)**d**, **ABCdn**/(**S**)**V**, **ABSVn**/**Cd**, **ABSdn**/**CV**, **ABVdn**/**C**(**S**) neque (d) generum **ABCSVn**/**d**, **ABCSdn**/**V**, **ABSVdn**/**C**, sed unum mendum tantum generis **ABCVdn**/**S** (22 b 33: voce ἀναγκαίου [**S**] in ἀναγκαῖον [**ABCVdn**] corrupta).

5.2.2 Codices hyparchetypi **γ** et **ε** nullis mendis demonstrativis adfecti sunt — demonstrativa dico ea, quae codicum cognationis demonstrandae vim habent —, quibus inter se copulentur et a codice hyparchetypo **δ** separentur. Quod dicens hoc a me dici intellegi volo: De sedecim codicum copiis, quas ex copia **An** creat, si quis de quattuor codicibus **C**, **S**, **V**, **d** (a) nullum, (b) singulos, (c) binos, (d) ternos, (e) omnes ad eam addit, nulla mendis demonstrativis adfecta est, quibus codices, quos continet, inter se copulentur et quibus ipsa ab ea ex sedecim copiis, quas ex 2^4 copiis copiae **CSVd** inferioribus creat, si quis codicem **B** ad unamquamque ad-

114 Ad codices deperditos, velut hyparchetypos **α** et **β**, designandos notas eorum uncis quadratis inclusi. Codices **ο**, **υ**, **φ**, **χ**, **ψ**, **ω** litteris uncialibus, codices **α**, **β**, **γ**, **δ**, **ε** litteris minusculis exaratos esse intellegendum est.

dit, separetur, quod eius complementum est.[115] Non sunt, ut breviter describam, neque (a) generis **An/BC(S)Vd** menda demonstrativa neque (b) generum **ACn/B(S)Vd**, **ASn/BCVd**, **AVn/BC(S)d**, **Adn/BC(S)V** neque (c) generum **ACSn/BVd**, **ACVn/B(S)d**, **ACdn/B(S)V**, **ASVn/BCd**, **ASdn/BCV**, **AVdn/BC(S)** neque (d) generum **ACSVn/Bd**, **ACSdn/BV**, **ACVdn/B(S)**, **ASVdn/BC** neque (e) generis **ACSVdn/B**.

Duobus locis (21 a 30 et 23 a 8) menda inveniuntur, quae speciem quidem mendi demonstrativi habent, sed demonstrativa non sunt. Quae menda infra in sectione 5.2.9 examinabuntur.

5.2.3 Codices hyparchetypi **δ** et **ε** nullis mendis demonstrativis adfecti sunt, quibus inter se copulentur et a codice hyparchetypo **γ** separentur. Quod dicens hoc a me dici intellegi volo: De sedecim codicum copiis, quas ex copia **Bn** creat, si quis de quattuor codicibus **C**, **S**, **V**, **d** (a) nullum, (b) singulos, (c) binos, (d) ternos, (e) omnes ad eam addit, nulla mendis demonstrativis adfecta est, quibus codices, quos continet, inter se copulentur et quibus ipsa ab ea ex sedecim copiis, quas ex 2^4 copiis copiae **CSVd** inferioribus creat, si quis codicem **A** ad unamquamque addit, separetur, quod eius complementum est. Non sunt, ut breviter describam, neque (a) generis **Bn/AC(S)Vd** menda demonstrativa neque (b) generum **BCn/A(S)Vd**, **BSn/ACVd**, **BVn/AC(S)d**, **Bdn/AC(S)V** neque (c) generum **BCSn/AVd**, **BCVn/A(S)d**, **BCdn/A(S)V**, **BSVn/ACd**, **BSdn/ACV**, **BVdn/AC(S)** neque (d) generum **BCSVn/Ad**, **BCSdn/AV**, **BCVdn/A(S)**, **BSVdn/AC** neque (e) generis **BCSVdn/A**.

Quinque locis (17 b 14, 18 a 18–19, 18 a 37–38, 18 b 4, 18 b 22) menda inveniuntur, quae, quamquam speciem mendi demonstrativi habent, tamen demonstrativa non sunt. Quae menda infra in sectione 5.2.9 examinabuntur.

115 Verbo copiae more mathematicorum utor, qui copiae n elementorum 2^n copias inferiores esse volunt, quarum in numero praeter n copias unius elementi, $(n \cdot (n - 1)) / 2$ copias duorum elementorum, $(n \cdot (n - 1) \cdot (n - 2)) / (2 \cdot 3)$ copias trium elementorum, ut reliquas omittam, etiam copia ipsa n elementorum sit, cui inferiores esse dicuntur, atque copia illa nullius elementi, quam copiam vacuam vocant.

5.2.4 Codices hyparchetypi **γ** et **δ** multis mendis plus minusve demonstrativis inter se copulantur et a codice hyparchetypo **ε** separantur. Quorum mendorum numerus, si in textu recognoscendo inter lectiones sanas et falsas diiudicans non erravi[116], 64 est. Dividuntur in

(a) nulla menda generis **AB/C(S)Vdn**,
(b) unum mendum generis **ABC/SVdn** (16 a 6 [**d***]) et tria menda generis **ABd/CVn** (21 b 36–37 [**C*V***], 23 b 5, 24 a 7)[117],
(c) duo menda generis **ABCd/SVn** (19 a 5, 21 a 21), unum mendum generis **ABCd/Vn** (17 a 30), duo menda generis **ABVd/CSn** (18 b 28, 23 a 14), singula menda generum **ABVd/Sn** (21 a 27 [deficiente **C**]) et **ABVd/n** (18 a 1 [iterum deficiente **C**]), quattuor menda generis **ABVd/Cn** (17 a 17, 19 b 26. 30 [19 b 30: **C***], 20 a 22–23),
(d) decem menda generis **ABCVd/Sn** (16 a 24 [**C*V*/S***], 18 a 30, 18 b 39 [**S***], 20 b 24, 21 a 13–14. 18. 20. 22, 23 a 4. 11) et unum mendum generis **ABSVd/Cn** (22 b 18),
(e) quattuor menda generis **ABCSVd/n** (18 b 23. 33, 19 a 10, 21 a 13) et 34 menda generis **ABCVd/n** (17 a 14–15. 17. 23. 31, 17 b 15, 19 a 24. 30. 31 [19 a 31 duo menda, in utroque: **C***], 19 b 9. 10. 15 [19 b 9: **C***], 20 a 2. 13. 14. 20–21. 22. 30, 20 b 14–15, 21 a 5, 21 b 18–19. 28. 39 [21 b 18–19: **n***], 22 a 10. 18. 35, 23 b 2. 6. 8. 29. 34. 36 [23 b 8 et b 36 bina menda]).

116 Qua cum exceptione legas velim etiam ea, quae supra in sectionibus 5.2.1–5.2.3 dicta sunt, atque ea, quae infra in sectionibus 5.2.5–5.2.7 dicentur. Quod ad menda attinet, quae in sectionibus 5.2.4–5.2.7 colliguntur, quamquam nonnulla talia sunt, ut in dubium vocari possit, num re vera demonstrativa sint, tamen eorum certe, de quibus in sectione 5.2.4 et in sectione 5.2.7 mentio fit, numerus tantus est, ut iam ipse vim quandam demonstrativam habeat. — In mendis numerandis neglexi non modo eas correctiones, quae alia manu, sed etiam eas, quae prima manu factae sunt.

117 Asteriscus, qui codicis **Y** notae adponitur, indicat aut in codice **Y** commutatam esse vel lectionem falsam, quam codex (vel codicum copia) **X** praebet (**XY*/Z**), vel lectionem sanam, quam codex (vel codicum copia) **Z** praebet (**X/Y*Z**), aut codicem **Y** aliam lectionem falsam praebere atque codicem (vel codicum copiam) **X** (**X/Y***).

5.2.5 Codex hyparchetypus **γ** 42 mendis plus minusve demonstrativis a codicibus hyparchetypis **δ** et **ε** separatur. Quae menda dividuntur in

(a) 29 menda generis **A**/**BC**(**S**)**Vdn** (16 a 7. 26, 16 b 1. 4. 15. 26. 28, 17 a 2. 13, 17 b 21, 18 a 8. 21. 25, 18 b 7. 16, 19 a 15. 16. 36. 39, 20 a 3. 12. 13. 35 [20 a 3: **d***, 20 a 13: **C***], 21 a 1, 21 b 38, 22 a 35. 37, 24 a 1. 6–7),
(b) duo menda generis **AC**/**BVdn** (17 b 25 [**C***], 17 b 38 [**C***]), duo menda generis **AS**/**BCVdn** (18 b 1. 24), tria menda generis **AV**/**BCdn** (21 b 33. 34 [21 b 34: **C***], 22 b 3), unum mendum generis **Ad**/**BCVn** (17 b 5),
(c) bina menda generum **ACd**/**BVn** (17 a 22 [**V***], 20 a 14 [**V***]) et **AVd**/**BCn** (20 b 8, 22 b 6),
(d) unum mendum generis **ACVd**/**Bn** (17 a 18),
(e) nulla menda generis **ACSVd**/**Bn**.

5.2.6 Codex hyparchetypus **δ** 17 mendis plus minusve demonstrativis a codicibus hyparchetypis **γ** et **ε** separatur. Quae menda dividuntur in

(a) sex menda generis **B**/**AC**(**S**)**Vdn** (18 a 19, 20 a 24, 21 a 14, 23 a 16–17. 23. 25–26),
(b) tria menda generis **BC**/**AVdn** (18 a 22 [**V*****d***], 19 b 36–37. 37), singula menda generum **BV**/**ACSdn** (21 a 33), **BV**/**ACdn** (20 a 3), **Bd**/**ACVn** (17 b 24), unum mendum generis **Bd**/**AVn** (20 a 24 [deficiente **C**]),
(c) singula menda generum **BCV**/**Adn** (17 b 5) et **BSV**/**ACdn** (21 a 17),
(d) nulla menda generum **BCSV**/**Adn**, **BCSd**/**AVn**, **BCVd**/**A**(**S**)**n**, **BSVd**/**ACn**,
(e) duo menda generis **BCSVd**/**An** (18 a 32. 34).

5.2.7 Codex hyparchetypus **ε** 138 mendis plus minusve demonstrativis a codicibus hyparchetypis **γ** et **δ** separatur. Quae menda, quorum octo in $\mathbf{n}^{i}$ inveniuntur, dividuntur in

(a) 112 menda generis **n**/**ABC**(**S**)**Vd** (16 a 2. 9. 13. 15. 21 [16 a 9: **d***], 16 b 7. 14. 23, 17 a 9. 12. 25–26, 17 b 3. 8. 11. 22 [17 b 11 duo menda, in priore: **d***], 18 a 18. 27. 30, 18 b 20. 24–25. 33, 19 a 8. 15–16. 27–28, 19 b 6. 7. 10. 18. 19–20. 20. 33. 33–34 [19 b 6 duo

menda], 20 a 1. 2. 4. 5. 17. 29. 39–40, 20 b 7. 13. 16. 18. 19–20. 34. 36. 39 [20 b 16: **C*** **d***], 21 a 1. 2. 3. 11. 14. 17. 19. 23. 32. 34–35. 38–39 [21 a 11 duo menda, 21 a 32: **S***], 21 b 5. 11. 13–14. 15. 27. 30. 31. 31–32 [21 b 5 duo menda], 22 a 1. 8. 9–10. 11. 18. 33. 34–35. 38 [22 a 33 et a 38 bina menda], 22 b 8. 19. 24. 30. 31. 31–32. 32 [22 b 32 duo menda], 23 a 25. 30. 31. 32. 37, 23 b 1. 7. 9. 10. 10–11. 21. 29. 30. 31. 32. 37. 40 [23 b 32 tria menda], 24 a 5. 6 [24 a 6: **V*** **d***], 24 b 3. 5. 5–6 [24 b 5: **A***, 24 b 5–6: **B*** **C***]),

(b) quaterna menda generum **Cn**/**ABSVd** (18 b 22 [**C***/**d***], 19 a 2, 21 a 14, 22 b 33–34) et **Cn**/**ABVd** (19 a 33, 21 b 5, 23 a 8, 24 b 6), novem menda generis **Sn**/**ABCVd** (16 a 14. 31, 18 b 11. 15. 35. 38, 19 a 11, 21 a 17, 23 a 10), duo menda generis **Vn**/**ABCd** (21 b 37, 22 a 2–3), tria menda generis **dn**/**ABCV** (16 b 30, 21 b 20. 29),

(c) unum mendum generis **Cdn**/**ABV** (24 b 5),

(d) singula menda generum **CSVn**/**ABd** (16 a 5) et **CVdn**/**AB** (20 a 4),

(e) unum mendum generis **CSVdn**/**AB** (22 b 27).

5.2.8 Ex eis, quae in sectionibus 5.2.4–5.2.7 dicta sunt, colligi potest codices **C**, **S**, **V**, **d** singulos totidem mendis totidemque mendorum centesimis partibus vel cum codice **A** coniunctos et a codicum copia **Bn** separatos esse vel cum **B** coniunctos et ab **An** separatos vel cum **n** coniunctos et ab **AB** separatos vel cum **AB** coniunctos et a **n** separatos, quot haec tabula indicat:

	A/**Bn**	**B**/**An**	**n**/**AB**	**AB**/**n**
C	5 (11,9 %)	6 (35,3 %)	12 (8,7 %)	52 (81,3 %)
S	6 (14,3 %)	9 (52,9 %)	33 (23,9 %)	15 (23,4 %)
V	6 (14,3 %)	6 (35,3 %)	5 (3,6 %)	57 (89,1 %)
d	6 (14,3 %)	4 (23,5 %)	6 (4,3 %)	63 (98,4 %)

Quod ad **S** attinet, aestimatione facta codicis integri mendorum numeros in tabulam rettuli, quos, cum fragmenta codicis tertiam fere partem libri nostri complectantur, tribus fere partibus maiores esse existimare licet quam numeros mendorum codicis mutilati.

Ex tabula intellegi potest primum tres codices **C**, **V**, **d** cum eo ramo, qui in stemmate codicum copia **AB** repraesentatur, cogna-

tione multo propinquiore coniunctos esse quam cum eo, quem codex **n** repraesentat, deinde codicem **S** cum utroque ramo cognatione aeque propinqua coniunctum esse, denique omnes quattuor codices et in primis **S** cum codice **B** propinquiore cognatione coniunctos esse quam cum codice **A**. Codices **C**, **S**, **V**, **d** ergo ita contaminati esse videntur, ut codice hyparchetypo **δ**, ex quo codex **B** transscriptus est, primo loco et codicibus hyparchetypis **γ** et **ε**, quorum ex altero codex **A**, ex altero codex **n** transscriptus est, secundo loco ut exemplaribus adhibitis confecti sint. Librarius autem codicis **S** multo saepius quam librarii codicum **C**, **V**, **d** codice **ε** usus esse videtur.

Quod ad codicum **C**, **S**, **V**, **d** menda ea attinet, quae cuiusque propria sunt, **V** et **d** pauca tantum, **C** satis multa menda propria exhibet (**V** 18, **d** 19, **C** 52), **S** autem mendis propriis abundat. Qui codex cum mutilus 37 exhibeat, integrum 111 eum exhibuisse, id est totidem fere, quot inveniuntur in **n**, veri simile est. Fragmentum Damascenum **Q** quoque mendis propriis abundare hic admonere non alienum est. Praeter ea, quae in apparatu critico adnotavi, haec menda propria in eo inveni: 17 a 35 ὅσα] ὡς **Q**, 17 b 8 δηλούμενα] -μεναι **Q**, 17 b 16 ἀντικεῖσθαι] -κείσεται **Q**, 17 b 17 τὸ καθόλου] τοῦ καθ. **Q**, 17 b 28 ὅσαι] ὅσα **Q**, 17 b 39 δεῖ] δὴ **Q**.

5.2.9 Si codices **A** et **B** sic, ut in stemmate significatur, inter se coniuncti et a codice **n** separati sunt, septem illorum mendorum, quae in hac sectione me examinaturum esse in sectionibus 5.2.2 et 5.2.3 promisi, ratio explicanda est, duorum illorum mendorum ad sectionem 5.2.2 pertinentium dico, quae inveniuntur locis 21 a 30 (voce κατηγορεῖται [**BCSVd**] in κατηγορῆται [**An**] corrupta [propter modum coniunctivum vocis λέγωνται praecedentis]) et 23 a 8 (voce ὄν [**BS** ΔΣΓ] omissa in **ACVdn** et in Λ, ut videtur [propter homoeoteleuton ὄν οἷον?]), et quinque illorum ad sectionem 5.2.3 pertinentium, quae inveniuntur locis 17 b 14 (voce ἀληθὴς [**ACVd** ς] omissa in **BQn** et ΔΛΣΓ [propter homoeoteleuton κατάφασίς ⟨γε⟩ ἀληθὴς ex iotacismo natum?]), 18 a 18–19 (verbis οὐδὲ ἀπόφασις μία [**Ad** Σ, οὐδὲ μία ἀπόφ. Δ(Λ), οὐδὲ ἀπόφ. **C**] post οὐ μία κατάφασις omissis in **BVn** (Λ)Γ), 18 a 37–38 (verbis καὶ ἀπόφασις [**A** (Δ), ἢ ἀπόφ. **CS** (Λ)Σ α] post κατάφασις omissis in **BVdn** (Δ)(Λ)Γ), 18 b 4 (voce ἢ [**ACVd** (Λ)Σ] post ἀνάγκη

omissa in **BSn** Δ(Λ)Γ α), 18 b 22 (voce ὑπάρξει [**ACSd** ΛΣΓ α, ὑπάρχει **V**] in ὑπάρξειν [**Bn**] corrupta).

Quorum mendorum ratio fortasse facillime explicari potest, si cognatio, qua codices manu scripti adhuc exstantes inter se coniuncti sunt, non a codice **ω**, sed a codice **ψ** in duos ramos, quorum alter codicum copia **AB** et alter codice **n** repraesentatur, diffundi coeperit. Ita, quomodo menda illa vel, cum a codice **B** abessent, in codices **A** et **n** vel, cum a codice **A** abessent, in codices **B** et **n** pervenire potuerint, hac coniectura explanari potest: Menda illa omnia a codice **ψ**, in quem primum irrepserunt, profecta sunt, codex autem **ω**, qui eis caruit, lectiones sanas codici **υ** tradidit, quem translatores et commentatores antiqui, ut infra ostendetur[118], ut exemplar adhibuisse videntur. Librarius codicis **α**, qui codicem **φ** transscribens etiam codicem **υ** contulit, lectiones falsas codicis **φ** a codice **ψ** ortas in textum recepit et lectiones sanas codicis **υ** a codice **ω** ortas vel in margine vel inter lineas adnotavit, ex quo efficitur, ut librarii codicum **γ** et **δ** in exemplari suo binas lectiones varias tamquam lectiones duplices invenerint, e quibus, nisi forte eligendi labore supersedens duplices eas tradidit[119], librarius codicis **γ** eas elegit, quarum codex **A**, et librarius codicis **δ** eas, quarum codex **B** testis est.[120]

Quae coniectura hoc indicio confirmatur, quod lectiones sanae, quas per codicem **υ** in codices eas praebentes pervenisse conicio, omnes fere etiam testimonio unius vel plurium de eis

118 Cf. sectiones 5.3.1, 5.3.3, 5.4.4.

119 Si nullo alio, tamen loco 23 a 8 librarius codicis **γ** duas lectiones varias ut lectiones duplices tradidisse videtur, addita et omissa voce ὄν. In codicibus enim **A** et **V**, in quibus haec vox omissa est, postea addita est librarii ipsius, ut videtur, manu.

120 Loco 18 a 37–38 verba ea, quae in codicibus **δ** et **ε** post vocem κατάφασις vitiose omissa esse apparet, in codice **γ** non talia addita esse videntur, qualia in codice **A** inveniuntur, qui lectionem sanam καὶ ἀπόφασις praebet, sed talia, qualia inveniuntur in **CS**, Σ, α, id est in verba ἢ ἀπόφασις corrupta, quae verba a codice **υ** profecta esse videntur. Codex **υ** iam loco 18 a 34 eiusdem corruptionis fons et origo esse videtur, quo loco non solum **CS** et Σ, sed etiam **BVd**, ΛΓ, τ lectionem falsam ἢ ἀπόφασις praebent, cum in **A** iam lectio sana καὶ ἀπόφασις inveniatur, cuius etiam **n**, Δ, ς testes sunt quamque respiciens librarius codicis **A** loco 18 a 37–38 vocem ἢ exemplaris sui in vocem καὶ correxisse videtur.

textus testibus nixae sunt, qui ex ipso codice **υ** pendent, testimonio dico unius vel plurium de translationibus et commentariis antiquis. Per codicem **υ** fortasse etiam loco 22 b 33 lectio ἀναγκαίου codicis **S**, quam translatio **Δ** quoque testificari videtur quaeque ceterorum textus testium lectioni ἀναγκαῖον anteponenda est, in codicem **S** pervenit; cuius codicis librarius enim vel in **γ** vel in **δ** ambas lectiones ut lectiones duplices invenisse potest, quarum altera per **υ** ab **ω**, altera per **φ** a **ψ** in codicum **γ** et **δ** exemplar, codicem **α** dico, transmissa est.

5.3 Mendorum eorum, quae codices **A**, **B**, **C**, **S**, **V**, **d**, **n** e codice archetypo communi pendere demonstrant, pleraque etiam in translationibus antiquis **Δ**, **Λ**, **Σ**, **Γ** inveniuntur. Quibus ex translationibus una vel plures lectiones sanas praebent his quattuor locis:

Loco 16 b 22–23 translatio Armenia **Δ** lectionis sanae οὐ testis est, quae in codicibus manu scriptis in οὐδὲ corrupta est; οὐ legisse videntur etiam, qui translationes **Λ**, **Σ**, **Γ** confecerunt. Translationis **Λ** exemplar Graecum praeterea loco falsae lectionis τὸ εἶναι, quam **Δ** et **Σ** cum codicibus manu scriptis congruentes testificantur, lectionem sanam τοῦ εἶναι praebuisse et verba ἢ μὴ εἶναι post πράγματος posuisse videtur. Lectionem τοῦ εἶναι fortasse etiam translationis **Γ** exemplar praebuit. Loco 17 b 17–18 in translationis **Λ** duobus codicibus Latinis vestigia quaedam incorruptae textus formae et speciei remanebant, quam τὴν τὸ καθόλου ⟨ὅτι καθόλου⟩ σημαίνουσαν ⟨τῇ⟩ τὸ αὐτὸ ὅτι οὐ καθόλου fuisse apparet quaeque in codicibus Graecis in τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῷ αὐτῷ ὅτι οὐ καθόλου corrupta est. Cum enim codicum Latinorum, qui translationem **Λ** servant, plerique huius textus corrupti testes sint verbis „quae *universale* significat *eidem quoniam* non universaliter“ eum reddentes, illi duo codices verba „quae *universaliter* (con)significat *ei quae* non universaliter“ praebentes[121] textum τὴν ⟨τὸ καθόλου⟩ ὅτι καθόλου σημαίνουσαν τῇ ⟨τὸ αὐτὸ⟩ ὅτι οὐ καθόλου testificari videntur.[122] Loco 24 b 4 **Λ** sola vocis τῇ testis est, quae

121 Cf. *Arist. Lat.* II 1–2: 11 (in apparatu critico ad lineam 2).
122 Verbis adlatis textum τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῇ τὸ οὐ καθόλου reddi, ut Crivelli vult (cf. 2004: 240, 250), haud veri simile est (cf. Waitz I 1844: XXII).

cum in ΔΣΓ tum in codicibus Graecis desideratur, et loco 24 b 5, quo Σ lacunam habet, Γ sola lectionem sanam ἡ ὅτι conservavit, quae in Δ in ὅτι, in Λ in ἢ et in codicibus Graecis vel in ὅτι ἢ (**AVdn**) vel in ὅτι ἡ (**B**) vel in ἡ (**C**) corrupta est.

Quattuor locis modo commemoratis septem alii loci adnumerari possunt, quibus ipsis quoque una vel plures ex translationibus antiquis non adfectae sunt eis mendis, quae in omnibus codicibus manu scriptis inveniuntur: 18 b 1 (priore ἢ nisi in Γ non conservato), 18 b 2 (tertio ἢ nisi in Σ et translationis Λ testium parte non conservato), 22 a 2 (voce τὸ nisi in Δ et commentario α non conservata), 23 b 13 (voce αὕτη, in vocem αὖται semper fere corrupta, nisi in translationis Λ testium parte integra non conservata), 23 b 14 (priore καὶ nisi in Γ et translationis Λ testium parte non conservato), 24 a 1–2 (voce ἀληθὴς in Σ et commentario α tantum post ψευδὴς non addita), 24 b 8 (altero τὰ αὐτὰ, in vocem ταῦτα semper fere corrupto, nisi in ΔΛ et commentarii α testium parte integro non conservato).

Boethio certe et Georgio Arabum episcopo, quorum alter translationem Λ, alter translationem Γ confecit, ad ramum codicem archetypum **ω** praetereuntem aditus patuisse videtur. Qui ramus in stemmate codice **o** repraesentatur.

5.3.1 In quattuor translationibus antiquis decem menda inveniuntur, quibus inter se coniunctae et a duobus ramis, quorum alter codicum copia **AB** et alter codice **n** repraesentatur, separatae sunt, quinque, quorum unum in fragmento Damasceno **Q** in stemmate non collocato, sed nullum in ullo ex septem codicibus **A**, **B**, **C**, **S**, **V**, **d**, **n** invenitur (16 a 28, 17 b 7 [**Q**], 19 a 4. 7, 22 b 36), et quinque, quorum singula in **AS** (18 b 1), **AV**^{c} (21 b 38), **BQd** (17 b 24), **BCSVd** (18 a 32), **CQ** (17 b 4) inveniuntur, cum a ceteris codicibus absint. Accedunt etiam tria menda, quibus translationes Δ, Σ, Γ et translationis Λ testium maior minorve pars inter se coniunguntur et a duobus illis ramis separantur, duo, quae eis cum nullo ex septem codicibus, quos modo dixi, communia sunt (18 a 35, 19 a 20), et unum, quod eis cum codice **S** solo commune est (18 b 39). Translationes igitur antiquae cum tertio ramo e codice archetypo **ω** nato coniunctae sunt, quem in stemmate codex hyparchetypus **υ** repraesentat.

5.3.2 Quattuor translationum antiquarum unaquaeque praeterea et mendis adfecta est, quae eam cum eo, qui codicum copia **AB** repraesentatur, ramo coniungunt, et mendis, quae eam cum eo coniungunt, qui codice **n** repraesentatur. Omnes ergo ita contaminatae esse videntur, ut praeterquam quod e codice **υ** et duae earum, si non plures, e codice **o** quoque pendent, etiam e codicis **α** proavo aliquo et e codicis **β** proavo aliquo pendeant. In stemmate, ne parum perspicuum sit, eas omnes ex eodem codicis **α** proavo, quem appellavi **φ**, et ex eodem codicis **β** proavo, quem appellavi **χ**, pendere significavi. Quot mendis quotque mendorum centesimis partibus translationes singulae vel cum codicum copia **AB** coniunctae et a codice **n** separatae vel cum codice **n** coniunctae et a codicum copia **AB** separatae sint, haec tabula indicat, in quam, quod ad Δ et Λ attinet, mendorum eorum, quae non omnes testes ab editoribus adhibiti praebent, numeros separatim a reliquis rettuli:

	Δ	Λ	Σ	Γ
AB/n	20 (31,3 %) (+ 1 (Δ) = 32,8 %)	13 (20,3 %) (+ 2 (Λ) = 23,4 %)	16 (25 %)	10 (15,6 %)
n/AB	23 (16,7 %) (+ 5 (Δ) = 20,3 %)	29 (21 %) (+ 5 (Λ) = 24,6 %)	28 (20,3 %)	36 (26,1 %)

Ut tabula ostendit, translationes Δ et Σ cum ramo, quem codicum copia **AB** repraesentat, artioribus propinquitatis et adfinitatis vinculis coniunctae sunt quam cum eo, quem repraesentat codex **n**, et quidem Δ multo artioribus quam Σ, cum Γ ramo codice **n** repraesentato coniunctior sit, Λ autem utrique ramo pari fere propinquitate coniuncta.

5.3.3 In quattuor translationum antiquarum unaquaque etiam menda inveniuntur, quibus vel cum codice **A** coniuncta et a codicum copia **Bn** separata vel cum codice **B** coniuncta et a codicum copia **An** separata vel cum uno vel pluribus ex codicibus **C**, **S**, **V**, **d** coniuncta et a reliquis atque a tribus codicibus **A**, **B**, **n** separata est. Quorum mendorum numeros in hanc tabulam rettuli:

	Δ	Λ	Σ	Γ
A/Bn	4 (+ 3 (Δ))	3 (+ 2 (Λ))	5	7
B/An	5 (+ 1 (Δ))	6 (+ 1 (Λ))	6	6
C/ABn	10 (+ 2 (Δ))	6 (+ 2 (Λ))	14	10
S/ABn	12 (+ 2 (Δ))	6 (+ 4 (Λ))	7	8
V/ABn	6	4 (+ 1 (Λ))	5	6
d/ABn	3 (+ 1 (Δ))	5	3	4

Quae his mendis depravatae sunt lectiones a codice **υ** profectae cum in translationes antiquas pervenisse tum per codicem **α**, in quo eas una cum lectionibus sanis ut lectiones duplices inveniri potuisse veri simile est, in eos codices De interpretatione libri textum servantes migravisse videntur, in quibus vel in quorum exemplaribus lectionibus sanis antepositae et in textum receptae sunt.

5.4 Menda ea, quae codices **A**, **B**, **C**, **S**, **V**, **d**, **n** e codice archetypo communi pendere demonstrant, etiam in eo textu Graeco inveniuntur, qui Ammonii commentario (α) insertus est. In Stephani Alexandrini commentario (ς) et in commentario anonymo a Leonardo Tarán edito (τ) ex decem illis locis in sectione 5.1 enumeratis, quibus codices manu scripti his mendis adfecti sunt, singuli tantum adferuntur, et Stephanus quidem Analyticorum priorum mentionem illam non ab Aristotele ortam, quam codices **A**, **B**, **C**, **V**, **d**, **n** loco 19 b 30–31 tradunt, commentator autem anonymus enuntiationem eam duobus mendis depravatam, quae in his codicibus loco 16 b 22–23 legitur — codex **S** utroque loco lacunam habet —, ut lemma profert. Quam enuntiationem quamquam mendo vocis οὐ in οὐδὲ corruptae carentem atque altero tantum mendo depravatam, mendo vocis τοῦ εἶναι in τὸ εἶναι corruptae dico, ut lemma profert, tamen commentator anonymus utroque mendo depravatam in exemplari suo legisse videtur, ut ex verbis, quibus eam explanat, concludere licet. Locis 16 b 11 et 17 b 17–18 quoque textum mendosum legit (loco 17 b 17–18 textum mendo vocis τῇ τὸ αὐτὸ in τῷ αὐτῷ corruptae depravatum certe), quem eundem codices manu scripti praebent, ut explanationes eius demonstrant.

Probi autem commentarium Syriacum (π), qui, quia non editus est nisi quadam ex parte, in stemmate collocari non potest, in stemmate collocari ne necesse quidem est, quia, qui eum confecit, idem translationem Syriacam illam anonymam (Σ) confecisse videtur, quae in stemmate collocata est.

5.4.1 Quibus locis codices manu scripti a Busse in editione sua adhibiti consentiunt, in libri nostri textu Graeco Ammonii commentario inserto 26 menda inveniuntur, quibus codices **A** et **B** inter se coniuncti et a codice **n** separati sunt, et 12 menda, quibus codex **n** a codicibus **A** et **B** separatus est. Cum autem, ut vidimus, codex **n** a codicibus **A** et **B** plus quam altero tanto pluribus mendis separetur, quam hi separantur ab illo, De interpretatione libri textus ab Ammonio adlatus cum eo ramo, qui codicum copia **AB** repraesentatur, plus quam quater tanta mendorum parte coniunctus est, quanta coniunctus est cum eo, quem repraesentat codex **n**.

5.4.2 In libri nostri textus partibus Stephani commentario insertis octo menda inveniuntur, quibus codex **n** a codicum copia **AB** separatur, sed unum tantum mendum, quo codicum copia **AB** separatur a codice **n**. Quod mendum – praetermittitur enim vox γε, quam codex **n** loco 23 b 36 inter ἥ et λέγουσα praebet –, cum tale sit, ut in duobus codicibus manu scriptis, quorum alter ex altero non pendet, facile fieri possit, cetera menda sola demonstrativa sunt, quae demonstrant Stephani commentarium cum eo ramo coniunctum esse, qui codice **n** repraesentatur.

5.4.3 Libri nostri textus partes in commentario illo anonymo adlatae octo mendis adfectae sunt, quibus codicum copia **AB** a codice **n** separatur, et quinque mendis, quibus codex **n** separatur a codicum copia **AB**. Ut igitur Ammonii commentarius, sic commentarius anonymus cum eo, qui codicum copia **AB** repraesentatur, ramo multo artius coniunctus est quam cum eo, qui codice **n** repraesentatur. In stemmate, ne parum perspicuum sit, commentarios α, ς, τ cum his ramis vel, quod ad ς attinet, cum altero eorum ita coniunctos esse significavi, ut omnes e codice hyparchetypo **χ** et α atque τ etiam e codice hyparchetypo **φ** pendeant.

5.4.4 In textu Ammonii commentario inserto et in textu a commentatore anonymo adlato praeterea menda inveniuntur, quae vel codicem **A** a codicum copia **Bn** separant (α: 8, τ: 3) vel codicem **B** a codicum copia **An** (α: 3, τ: 2) vel unum vel duos ex quattuor codicibus **C**, **S**, **V**, **d** a ceteris codicibus in stemmate collocatis (α: 13, τ: 6). Textus a Stephano adlatus unum mendum exhibet, quo codex **A** a codicum copia **Bn** separatur, et — praeter unum mendum, quod a codicibus fragmento **Q** excepto abest — duo menda, quae ex codicibus solus **C**, et unum, quod ex codicibus solus **d** exhibet. Commentarii α, ς, τ, cum propter haec menda a duobus ramis, qui codicum copia **AB** et codice **n** repraesentantur, separati sint, praeterquam quod ς cum horum ramorum altero et α atque τ cum utroque coniunctus est, sicut translationes Δ, Λ, Σ, Γ cum eo quoque ramo coniuncti esse videntur, qui codice **υ** repraesentatur.[123]

Una cum mendis in sectionibus 5.3.1 et 5.3.3 attactis menda, quae in hac sectione attigimus, indicant translatores et commentatores antiquos e codice quodam, quem etiam codicis **α** librarius contulit, — e codice **υ** videlicet — lectiones falsas recepisse, quae, cum in codice **α** una cum lectionibus sanis ut lectiones duplices inveniantur, partim per codicem **γ**, partim per codicem **δ** etiam in eos codices adhuc exstantes pervenerunt, qui ipsi quoque earum testes sunt.[124] Quod ad menda attinet, quibus textus in Ammonii commentario adlatus adfectus est, partim etiam ita in codices manu scriptos pervenire potuerunt, qui hunc commentarium servant, ut hi codices, qui saeculo tertio decimo vel quarto decimo

123 Horum mendorum aliqua commentarios, in quibus inveniuntur, cum tribus vel quattuor translationibus antiquis coniungunt (17 b 7: voce αὗται μὲν omissa in **Q**, ΔΛΣΓ, ς; 18 a 10: voce εἴρηται omissa in **Vd**, ΔΛΓ, α; 18 a 32: voce ληφθέντων in λεχθέντων corrupta in **BCSVd**, ΔΛΣΓ, α; 18 a 34: voce καὶ in ἢ corrupta in **BCSVd**, ΛΣΓ, τ, commentarii α testium parte quadam; 18 b 1: voce ὅτι omissa in **AS**, ΔΛΣΓ, α).

124 Harum lectionum aliquae propter menda praeter modum demonstrativa falsae sunt (22 b 3: voce τὸ ἀναγκαῖον post ἀκολουθεῖν addita in **AV** et ατ, 21 b 33 et 34: compluribus verbis additis in **AV** et α, 21 b 38: compluribus verbis additis in **AV**[c] et ΔΛΣΓ).

ineunte exarati sunt[125], eorum codicum textum Aristotelis servantium, in quibus ipsis quoque illa menda inveniuntur, lectionibus contaminarentur.

Sicut Boethius et Georgius Arabum episcopus etiam Stephanus ad illum quoque ramum aditum habuisse videtur, qui codicem archetypum **ω** praeteriit, eum dico, qui in stemmate codice **ο** repraesentatur. Loci enim 17 b 12–13, quem iam supra commemoravi, textus, qui et in codicibus **ABCQVdn** et in translationibus ΔΣΓ atque compluribus translationis Λ testibus et in commentariis *ατ* variis modis corruptus est, in illius commentario et in ceteris translationis Λ testibus sanus nobis traditus est ter vocem καθόλου continens.

Ammonius et Stephanus vel „in quibusdam“ vel „in multis“ vel „in plurimis exemplaribus“ hanc vel illam lectionem variam inveniri admonentes aperte ostendunt textum commentariis suis illustratum compluribus exemplaribus adhibitis constitutum esse.[126]

6. DE HVIVS LIBRI EDENDI RATIONE

Formam eam, in quam redactum est, exhibens stemma editorem in quibusdam quidem rebus, quae ad textum constituendum pertinent, diiudicandis, sed non in omnibus certum et definitum iudicium facere cogit. Quaevis enim lectio sana, quae cum lectione falsa certat, in quam fieri non potuit, ut plus quam semel corrumperetur, nisi prior corruptio posterioris causa fuit, quibusdam casibus rarioribus exceptis neque in codicem **A** pervenisse potest, nisi etiam in codicem **B** vel in codicem **n** pervenit, neque in codicem **B**, nisi etiam in codicem **A** vel in codicem **n** pervenit, neque in codicum **C**, **S**, **V**, **d** quemquam, nisi etiam in codices **A** et **B** vel

125 De his codicibus plus quam viginti numero, ex quibus Busse quattuor tantum ad editionem suam parandam adhibuit, vide Montanari I 1984: 66–79. Ut illi codices, qui textum Aristotelis servant, sic etiam hi maxime contaminati sunt (cf. Busse 1900: 75–78, Montanari I 1984: 67, 71–72, 75).

126 Pace Busse (cf. 1900: 73–75). De Ammonio cf. Busse 1897: 50, 7–8; 171, 1–3 (vide etiam 8, 26–27; 56, 16–17; 109, 24–25; 244, 5–7; 267, 26–31); de Stephano cf. Hayduck 1885: 14, 30–31.

in codicem **n** pervenit, cum in codicem **n** pervenisse possit, etiamsi in ceterorum codicum nullum pervenerit.[127]

Editorem ergo, ex duabus lectionibus variis, quarum altera cum altera certat, utram eligat, deliberantem iudicium suum ad has regulas dirigere oportet[128]:

(1) Si altera lectio a codicibus **A** et **B** vel pluribus et altera a codice **n** vel pluribus traditur, soluta ac libera editori est eligendi optio.

(2) Si altera lectio a codicibus **A** et **n** vel pluribus et altera vel a codice **B** vel pluribus vel a ceterorum textus testium (id est codicum **C**, **S**, **V**, **d**, translationum Δ, Λ, Σ, Γ, commentariorum α, ς, τ) aliquo aut altera a codicibus **B** et **n** vel pluribus et altera vel a codice **A** vel pluribus vel a ceterorum textus testium aliquo traditur, prior recipienda, posterior reicienda est.

Excipiuntur ex prima regula eius modi casus, in quibus duae lectiones, quarum utraque ut eligatur, permittit, cum tertia certant, quae illis melior est, et ex secunda regula eius modi casus, in quibus lectio ea, quam recipi iubet, vel falsa esse videtur vel certe peior est ea, quam reici iubet, atque haec vel sana esse videtur vel certe melior est illa.

Exceptio ex prima regula non invenitur nisi loco 21 b 18–19, quo loco duae lectiones, quarum altera (οὐκ ἄρα τοῦ δυνατὸν εἶναι ἀπόφασίς ἐστι τὸ δυνατὸν μὴ εἶναι) a codicibus **A** et **B** et altera (οὐκ ἄρα αὕτη ἀπόφασις) a codice **n** traditur, cum tertia certant (οὐκ ἄρα τοῦ δυνατὸν εἶναι τὸ δυνατὸν μὴ εἶναι αὕτη ἀπόφασίς ἐστι), cuius translatio Σ sola testis est. Quae lectio, cum reliquarum duarum fons et origo esse videatur, illis anteponenda est. Pro-

127 Locis 24 b 5 et 24 b 5–6, quorum altero codicis **B** lectio ἀντιφατικῶς in codice **A**, altero codicis **A** lectio οὐ πᾶν ἢ οὐ πᾶς in codice **B** minimo scripturae mendo deformata est, omissis unus solus locus invenitur, quo uterque codex **A** et **B** lectionem praebet, quae et ab alterius lectione et a lectione codicis **n** differt, locum 19 b 36 dico, quo loco tres codices **A**, **B**, **n** tres lectiones συναληθεύειν (**A**), συναληθεύεσθαι (**B**), ἀληθεύεσθαι (**n**) inter se partiuntur.

128 Quae autem lectiones non habent, quibuscum certent, quoniam ab omnibus textus testibus traduntur, eas non esse reiciendas perspicuum est, nisi, quin falsae sint, dubium non est vel certe, ne sanae non sint, verendum est.

bus, a quo translationem Σ confectam esse veri simile est, eam, nisi fallor, e codice hyparchetypo υ deprompsit; prima autem a codice hyparchetypo φ, secunda a codice hyparchetypo χ profecta esse videtur.

Exceptiones ex secunda regula inveniuntur primum septem illis locis in sectione 5.2.9 examinatis, quibus partim lectiones a codice **B** traditae lectionibus a codicibus **A** et **n** traditis et partim lectiones a codice **A** traditae lectionibus a codicibus **B** et **n** traditis anteponendae sunt (17 b 14, 18 a 18–19, 18 a 37–38, 18 b 4, 18 b 22, 21 a 30, 23 a 8), deinde undecim illis locis in sectione 5.3 commemoratis, quibus lectiones, quae ab una vel pluribus ex translationibus antiquis (et partim a commentario α quoque) traduntur, lectionibus anteponendae sunt, quarum omnes codices manu scripti testes sunt (16 b 22–23, 17 b 17–18, 18 b 1, 18 b 2, 22 a 2, 23 b 13, 23 b 14, 24 a 1–2, 24 b 4, 24 b 5, 24 b 8), denique locis 17 b 12–13, 22 b 23, 22 b 33. Loco 17 b 12–13 lectio ἐπὶ δὲ τοῦ κατηγορουμένου καθόλου τὸ καθόλου κατηγορεῖν καθόλου, quae a commentario ς et translationis Λ testium parte tantum traditur, lectioni ἐπὶ δὲ τοῦ κατηγορουμένου τὸ καθόλου κατηγορεῖν καθόλου anteponenda est, cuius codices **B** et **n** testes sunt; locis 22 b 23 et 22 b 33 lectio ἀναγκαίου, quam versu 23 commentarius τ tantum testificatur et versu 33 codex **S** tantum atque translatio Δ, ut videtur, lectioni ἀναγκαῖον anteponenda est, quae versu 23 ab omnibus codicibus manu scriptis traditur et versu 33 a codicibus **A**, **B**, **n**.

Ex stemmate autem iudicans editor quasi per orbem quendam circulumque eodem revolvitur, unde discessit. Quae enim iudicia facere stemma eum cogit, illa ipsa iudicia eum coegerunt stemma tale, quale est, constituere. In circulum quendam etsi fertur, is tamen circulus vitiosus, qui vocatur, non est. Nam iudicia ea, quae quin facienda sint, ei dubium non fuit, eum stemma in eius modi formam redigere coegerunt, ut stemma eum etiam ea iudicia facere cogat, quae faciendane sint, incertum fuit.

Quibus autem in rebus diiudicandis eligendi optio ei datur, in eis editor non textus testes eorumque cognationem spectans, sed textu ipso nixus inter lectiones sanas et falsas diiudicare debet, et hoc quidem modo, ut lectionem aliquam, quae cum alia certat, huic anteponat primum, si Aristotelis loquendi usui et verborum contextui magis convenit atque congruit quam haec, deinde, si

illam causam et originem huius esse veri similius est quam hanc illius, cuius rei frequentissimum exemplum est lectio, quae cum alia certat, qua difficilior est intellectu quamque, quo facilius textus intellegeretur, pro illa substitutam esse suspicari licet, denique, si librarius codicis, in quo haec invenitur, vel in exemplari suo legendo erravisse vel glossam, quam glossam esse non animadvertit, in textum recepisse vel textum male intellectum, ut planior fieret, commutavisse videtur. Hac ratione et via cum textum recognoscet, editor non semper quidem iudicia facere poterit, quorum loco alia facere non potuerit, praesertim si lectionum varietas ex Aristotelis dicendi ratione tantummodo oritur.

Etiam in ratione scribendi editoris est iudicare, utrum elisionem et crasin adhibens verbi causa ὥστ᾽ εἰ pro ὥστε εἰ vel ταὐτά pro τὰ αὐτά scribat an scriptione plena utatur. Qua in re cum codicum Graecorum librarii parum sibi constent, singulis locis, de quibus agitur, modum scribendi plurium ex eorum numero imitatus sum.

7. DE ADNOTATIONIBVS CRITICIS TEXTVI SVBIECTIS SIVE DE APPARATV CRITICO

Textum hic editum adnotationibus criticis instruxi, quas ab Immanuele Bekker, Theodoro Waitz, Laurentio Minio-Paluello dissidens et Aelium Montanari secutus non in eius, qui negativus vocatur, sed in eius, quem positivum vocant, apparatus critici formam redegi. Hic ab illo hoc differt, quod primum lectionum in textum receptarum testes, de quibus ille tacet, tum lectiones reiectas earumque testes commemorat.[129]

Testimoniorum quoque apparatu textum instruere, in quo commentariorum Graecorum ad librum nostrum non pertinentium loci adnotantur, qui ad hunc librum spectant, a Montanari dissidens praetermisi. Locorum in apparatu testimoniorum a Montanari confecto adlatorum alii in commentariis ad Aristotelis opera illustranda conscriptis inveniuntur, alii in duobus commen-

129 Cf. Montanari I 1984: 102–103. Quibus virtutibus apparatus positivus negativo praestet, cf. Irigoin 1972: 27–28.

tariis, quibus Didymus Caecus, theologus ille Alexandrinus, saeculo quarto Veteris Testamenti libros Psalmorum et librum, qui Ecclesiastes inscribitur, illustravit. Quorum commentariorum theologicorum fragmenta papyracea sexti vel septimi saeculi ad nos pervenerunt, quae anno 1941 in oppido Tura prope Cairum sito inventa sunt.[130]

